25,840/A
N.VI 7/8
2206
DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 630
COLLECTION
8° 8386
Geschichte
Lb. 8568.

70484

PROTEUS

MERCURIALIS GEMINUS,

EXHIBENS

NATURAM METALLORUM SIVE OPERIS PHILOSOPHICI Theoriam & ejusdem praxin, ſive Compoſitionem Lapidis ſecreti per Philoſophorum ſententias & authoritates elucidatus,

Per

JOHANNEM BAPTISTAM GROSCHEDELIUM ab AICHA, Equitem Romanum, Philoſophum & Chymicum.

Verissimus auctor

HAMBURGI,

Typis MATTHIÆ GROCIANI,

Anno M. D. C. C. VI.

MORIENUS RO-
MANUS.

*BOnum quod nunc ha-
beo, & in futurum expe-
cto, ex DEO eſt, & in
ejus manu collocatum.*

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Ad Lectorem Benevolum.

UT videas magni myſteria maxima Mundi
Hunc cautus librum, Lector Amande, lege.
Invenies in eo quod cunctaMetalla reformet,
Et prompte cumulum vertat in auriferum.
Invenies, hominum grandi quo preſſa dolore
Corpora reſtituas, ægraq; membra leves.

DANIEL STOLCIUS de STOLCENBERG. Bohem. Med. C. Poeta Lau. Cor.

Ejusdem

AD NOBILISSIMUM, CLARISSIMUM, &
Doctiſſimum Virum Dominum,

JOH. BAPTISTAM GROSSCHEDELIUM ab AICHA, Equitem Romanum;

GRATIÆ ET NATURÆ LUMINIS INDAgatorem ſolertiſſimum, Philoſophum acutiſſimum & Spagyrum vigilantiſſimum, Myſteria Lapidis Mineralis edentem.

OCcultum vulgo pandes an A-
pollinis Ignem?
Secretas Mundi num reſerabis
opes?
Harpocratem præſta: ne ſis Epime-
theus olim.
In mediis Undis Tantalus ecce
ſitit.
Sed bene ſcripta ligas: modo tu qui
intelligis iſthæc,
Vel bene tecta legas. vel bene lecta
tegas:

PRÆ-

PRÆFATIO

Ad amicum Lectorem.

AUTHOR hujus libelli quis ſit, Lector Benevole, ne ſis anxie ſollicitus. Parum enim in eo ſitum eſt. Scias vero eundem per multos annos apud me delituiſſe, Authorem vero ipſius jam diu Naturæ debitum exolviſſe. Cu-

jus Eruditionem ex hoc præſenti ipſius profundiſſimo Scripto faciliume colligere poteris. Nolui enim ut diutius tineis eſcam præberet, quinimo omnem dedi operam, ut in lucem prodiret, teque in ſtudiis & laboribus tuis ſublevaret & confirmaret. Quo facilius admirabilem Mineralium Naturam intelligere, & deſideratam Metallorum transmutationem [ſi ad

id

id à DEO TER OPT. MAX. vocatus es] conſequi queas. Quod ſi mea hæc promptitudo, teque juvandi cupiditas tibi non ingrata fuerit, dabo operam, ut meorum jam per triginta annos ferme in Chymicis exantlatorum laborum ſpecimen aliquod videas, ſecretorumque Naturæ Arcanorum tam longo temporis intervallo indefeſſo ſtudio, & aſſidua Experientia à me

*me conquiſitorum par-
ticeps efficiaris.
Vale.*

J.B.G.A.A.E.R.

DE

DE
VITA LONGA
ſic
THEOPHRASTUS

ANtequam de VITA LONGA philoſophari incipiam, primò quid Vita ſit, ſcitu dignum exiſtimo, maxime vero immortalis: Quem locum alii prorſus integrum reliquerunt, credo incognitum, aut non ſatis intellectum. Hinc eſt, cur alteri ſolùm, mortali ſcilicet, conſultum voluerint hactenus.

Quæ omnia ut clariùs innoteſcant, principio de Phyſico corpore dicendum eſſe exiſtimo. Generalis praxis in Phyſico corpore fit ad hunc modum.

Principio conſiderantur partes ejus, tot & tam variæ Medullæ, Oſſa, Cartilagines, Ligamenta Nervi, Carnes, Membra: Deniqne quicquid eſt Principalium membrorum, Cor videlicet, Epar, Cerebrum, Veſica, Splen.

Præterea quicquid eſt exteriorum membrorum, Muſculi, Lacerti, & id genus alia, quæ Phyſicam Vitam complectuntur.

Sed ad ea priusquam perveniamus, quid Mors ſit, quid Aegritudo, paucis indicabimus.

Mors eſt diſſolutio Vitæ, cum mortalis, tùm immortalis, quam dies Natalis conjungit ac copulat, Nam Omnis Conjunctio rerum mortalium, maximè diverſarum, adfert ſecum Diſſolutionem.

Quemadmodum omnem Conjunctionem rerum Naturalium, & earum quæ præter Naturam ſunt,

ſunt, ſequitur Diſſolutio. Sic Vitæ, quæ conjuncta eſt, Comes eſt Diſſolutio.

Hinc eſt hujus mali fons & origo, generatio Morbi, quam continuò inſequitur mors.

Ex quibus facilè colligere licet, quid Vita ſit tum mortalis, tum immortalis: qua ratione Vitaque conſervari debeat: Id quod infrà etiam in fine Phyſici corporis latiùs patebit.

Principio oportet probè cognitam habeamus univerſam rationem atque naturam cùm Phyſici Corporis tum Phyſicæ Vitæ: etſi neque Corpus neque Vita corporis hoc loco conſiderari debent.

Ex mortali enim nihil poteſt elici, quod pariat Vitam longam.

Extra corpus eſt Vita longa & à corpore conſervatur.

Præterea interveniente corpore

re exoritur diſſolutio Vitæ utriusque.

Ubicunque enim mortalitas non eſt conjuncta immortalitati, illic diſſolutio eſſe nequit.

Hoc loco plurimum laboravit Hippocratica Muſa, qua ſcilicet ratione corpus tanquam Balſamum conſervaret, ne cauſaretur mortem, immemor in Vita Mortem non eſſe.

Nihil enim aliud Mors eſt, niſi diſſolutio quædam: quæ ubi accidit, tum demum moritur corpus.

Atque huc omnia ſua excerpta retulit Hipocrates, corpuſculumque illud præ manibus ſumere, & mortale mortali conſervare decrevit. Quum in ea nulla unquam fuerit Vita, quæ ex illius fonte manarit.

Corpus eſt creatura, at non Vita.

Non

Non prorſus referenda eſt, inquies, Hippocratica Muſa ad mortalitatem: Eſto.

At multò faciliorem viam ad ſanitatem invenies. Nihil enim præter ea quæ creaturæ ſunt, Hippocrati tribuit Deus. Sed ad rem.

Huic corpori Deus adjunxit aliud quoddam, puta cœleſte, id quod in corpore Vitæ exiſtit.

Hoc opus, hic labor eſt, ne in diſſolutionem, quæ mortalium eſt, & huic ſoli adjuncta erumpat.

Etſi in corpore iſto caduco accidere poteſt diſſolutio, atq; adeò colligi ex ea amiſſio cœlici corporis: tamen Vitæ longæ obeſſe nequit: propter Reſtaurationem quæ ſubinde fieri debet, ut prorſus omni defectu careat corpus.

Sicut enim ignis tantiſper dum ligna adſunt, vivit: ſic Vita longa, dum adeſt corpus.

Quod corpus, ut corpus, conſervandum eſt, interveniente corpore, quod extrinſecus convaleſcit: Inde enim conſervari poteſt.

Nihil enim aliud eſt corpus, niſi Subjectum, in quo Longa Vita gliſcit.

Per primum Metallorum ſummæ atque adeò præcipuæ fiunt Conſervationes corporis, neque tamen ex natura propriæ ſuæ confortationis tam eſt efficax, ſed potiùs ex virtute Mineralium, quæ in ſe continet.

Nam ut Vitam Longam conſerves, ex principe mineralium hoc proficiſcatur neceſſum eſt, quandoquidem Mineralia Phyſicum corpus exiſtunt.

Atque hoc Temperamentum illud eſt, quod ſolum atque unicum Corroſivis reſiſtit, operaturque tam

per

per Chymicum, quàm Archeicum Ares: quin etiam robuſtiſſimum quodque corpus cum debiliſſimo temperat in uno gradu.

Robur ſiquidem præter roboris Ares perinde eſt, atque debilitas infra gradum Ares roboris exiſtens: firmiori quidem adimit, quod imbecilliori præſtet, ac utrunque in medium tandem redigit diametrum, id quod in hunc modum fit.

Liquorem Corallinum accipito, eum nempe qui probè diaphinus exiſtat, cui adjunge ejus quidem Vitrioli, quod eſt ex Venere, quintam partem: digerantur in balneo Maris ad menſem ſuum.

Hoc enim pacto ſeparat ſe Vinum Metalli Primi in ſummitatem: cæterum quicquid de fæcibus vini eſt, Vitriolum Veneris occupat.

Sicq;

Sicq́; fit Primus ille Metallus, perſpicuum, diaphinum, ac rubinum planè Vinum, cujus præcipua virtus ac poteſtas in omnibus eſt Mineralibus totius Phyſici corporis.

DE
NATURA METALLORUM,
ET
LAPIDE PHILOSOPHORUM.

PERPETUAM, amici, felicitatem, ignara termini ſapientia parturit: Ea vero incorruptæ humanæ indoli par, uno, quicquid ſuperum, quicquid inferum, ingentis magnitudinis ambit imperio. Deinde prout ex perenni idearum fonte ubertim cuncta defluxerunt, ſic ubere gaudio afficiuntur, quos divinitus rerum abditarum cognitione imbui contigit. Igitur quicunque à primo omnium motore capiet initium nunquam ſatis laudatæ ſapientiæ ſacris initiabitur. Etenim ingenuus ut ſis, pa-

rentibus, ut bonus, tibi tuoque gratiam referas animo, ſapientia autem à ſolo DEO, dono datur atque accipitur. Porro etiam tanto ardentius optanda animi bona; quanto minus exponuntur inſidiis, quoque magis omnium rerum abundant copia, qua inſolitam horum cognitionem penetrans, quæcunq;, quandocunque, popoſcerit, promet, promptisque & abunde & ſecure perfruetur. Sapientiæ nimirum bonis tutiſſimo loco collocatis. Contra quæ bona vulgo putantur, quo ſudore & molimine parentur, vides, illum primus mobili ligno vitam qui credidit, non irata maris facies, non immenſam mundi molem brachiis complexa Amphitrite deterruerunt, quin quo collibuiſſet vel Neptuno indignante perrumperet. In tutas profundi arenas, manes quaſi lucis pertæſos adire, atque intima terræ eviſcerare famelica hominum cupido fecit; incertum temeritate majore an periculo: neque tamen

aut tædio laborũ opumve paludibus expleri, quid hiſulca gens damni damna accumulans, cum quod anxie quærit, in vanum pavida cuſtodit cura& ſollicitudine. Necimmerito hercule metu plectitur, damno æquiſſime, ſi torvum reſpiciens, fors levi momento diu congeſta intercipit. Quid hujus ſimilis tempeſtatis ſapientia formidet? Irritas fortunæ minas alto deſpiciens ſupercilio. Ergo majorem minor ſequitur fortuna ſapientiam, quæ & animo curando corporique benigna ſua fortunæque bona effuſe comis, Victori fortunæ animo diſtribuit & largitur. Cæterum quemadmodum ſapientiæ limitibus ſcientiæ & artes univerſæ includuntur; ſic omnis ſcientia manifeſto uſu nondum celebris effectus directorem inveſtigandi modum præſupponit. Ea namq; ars quæ experimento apparet, declarationibus theoricis repudiatis haud parum ab aliis demonſtrationem, probationemq; exigentibus diſcre-

pat. Etenim apparente fine præcedentem rationem ſciri ignoto inveſtigari conveniet. Diverſa igitur horum conditio aut opere, aut inquiſitionis decurſu, cujus meta veritas, finitur. Sed ad veritatem inveſtigatio deducit, veritas operi præbet principium, quæ cum ſibi invicem reſdondeant, opere veritas, hæc inveſtigatio qualis fuerit, declaratur, Veritas ſane eſt unica, Error infinitus. Itaque Inventa veritas, quæſtiones reliquas tollit, à quibus adhuc ſecura confli&tantibus non temere ſegregantur: Et tamen in ſcientia aliqua inveſtiganda falſum occurrens, in altera veri vicem perſæpe tuetur. Unde non minor quam errorum artium numerus. In immenſum ergo porrecta ſapientiæ cognitio non una arte ſola pluribusve, ſed toto illo univerſo occupatur quod qui ita diſcreverit, ut nullo obnoxius ambiguo, ſingula diſtincte cognoſcat, ſuperficiem profunditatesque rerum naturalium perſpici-

at, ei omnes in unum conglobatæ ſcientiæ, ſapientis nomen merito deferent, quippe prout eruta veritate inveſtigatio finem nanciſcitur, utque à veritate ſapientiæ initium, ſic cognitis rerum naturis ſecundum formas ſpecificas, earumque miſtiones & compoſitiones, per elementa prima convertentia & convertibilia ceſſat profecto error univerſus, adeoque univerſa inveſtigatio iisque luce quavis clarior ſuccedit veritas, veritati ſapientia. Præterea non ſecus atque natura ſibi & per ſe omnia parit, parta tuetur, viciſſitudinibus ortu atque occaſu mirabilis, ita ejus opera ſobria & ſapienti imitatione æquantibus & opum & tutelæ affatim comparabit, nec majoribus vulgo etiam profuſis donis ſapientes fraudabit.

Feras beſtias quibus præter vitam vitæque ſuſtentandæ victum ſordidum nil amplius fecit reliqui, inſigniter armavit ungulis, dente, calce, veneno, cornibus: terræ the-

ſauros, fluminibus, mari, ſilice, ſepſit: Cælum tonitruis, imbribus, grandine, ignibus, terribilis iræ, fraudis, aſtutiarum, profunda ubique vorago. Hæc vero in unum collata vix minimam roboris naturalis partem exprimunt, cæteris fortioribus, ſubtilioribusque utpote non corpori tantum, ſed præſertim animo imperantibus, minus obviis, niſi quod quaſi inevitabili fato, hac illac cuncta agi, trahique ignari cauſarum videmus. Ea itaque in vilioribus dubio ſapientes ſolicitari vetat, quo propinquior, tanto cognoſci pronior, ex centro procedens ſive alterata ſive quieta ſanitatis divitiarumque vomica, quod etiam ſublimiores hæ, cæleſtesque animorum habenæ appropriatis ſubjectis, certoque modo naturali poſſunt coerceri, coercitæ animari, animatæ perpetuam vim tutelarum ſapientiæ cultoribus exhibere. Quamvis aut hæc tam ingentia bona ab omnibus inveſtigari deſiderent;

rent, adeo tamen non ſubjiciunt ad virtutem hominibus ſtimulos,ut contra extremæ ignaviæ pars maxima in diem vivere, quam huc animum adjiceret, præferat, quo fit, ſitu torpentibus ingeniis vix unum quidem Philoſophum inveniri. Non enim diffitendum, ſolidæ eruditioni ſolidiſſimoque ingenii acumini iſta ſolummodo patere, nec primo conatu, quin longo circuitu, ſtudioque indefeſſo parari rudes & obtuſi judicii viros oppido abigi, arceri. Fuit quidem olim incorupto homini ex intimo cauſarum judicandi, resque eorum formas ſpecificas perficientes diſtinguendi, prompta fælicitas, quæ ſimul ac decidit ingenti lucta in profunda inferorum adita deſcendit.

Id relictum, finem operum, quo quondam diſpoſitiones intermediæ cognoſcebantur & nunc primitus occurrere, ſcientiasque inveſtigatu faciles cenſeri. At penetrantes altius, miſtis vero erroribus confuſi,

intellectu profundo ſcientiarum æquato demum liberamur ita primæva privati ſagacitate non à veritate cauſas, ſed ab his veritatem haurimus quarum cauſarum licet diverſarum ſcientiarum, aut ſymbolo cognatarum, numerus innumerus á confuſis cognitionem nos ordiri cogit, quam tandem confuſionem, tanquam inter gravidas imbre nubes erumpens ſol, fulgore ſuo disſipat veritas. Ea ergo ſi nobis quoque effulſit. Amici, vos, quos priſcæ eruditionis inſtar & præbere vobis, & impertiri aliis volumus, ita non patiemur umbra premi, ſed luce liquidius limpidiusque percipere animis gaudium, quam leviter ſaltem libatis ſecretorum naturæ dulcoribus, ad ignobiliora nunquam detrudemini. Neque laborioſe ducentem ſequemini, fomes eſt humanum ingenium, ſcintillam ſemel excepiſſe ſufficit, & tamen refert, nil appli- caſſe perperam, ſed explicaſſe perquam ſimpliciſſime. Vita enim & in-

intentio doctrinarum longe lateque diffuſa, præpedita præſertim ceu caligine verborum involucris, non cuivis occurſat. Inde, quia organa exprimentia tanquam mente conceptorum illuceſcentibus intellectus ſubtilitate haud quaquam comparantur, ſententiam noſtram tanto liberalius exprimendo ad altiora multiplici varietate obſtante, paucis ineffabilia, planiorem ſemitam pandemus. Expoſituri igitur Magiæ naturalis fundamenta, profitemur, verſari illam circa formas abſtractas à corporibus, tantum ſuperantes ligamina ſua, ſive illa propria ſive cognata, quantum cauſæ ſuperabantur corporibus.

Impulit nos huc inſignis juxta utilitatem jucunditas. Etenim cum forma ſit principium eſſendi rerum omnium, quippe ad ſe convertens, cui inſeritur, materiam, eamque ſuo arbitratu regens atque vivificans, eadem forma abſtracta, & multipliciter converſa, ſoluta vin-

culis multo majorem vim atque efficatiam ſortietur. Ideoque poſtquam forma cuncta regit, & non regitur, convertit, & non convertitur, habitis formis abſolutis in univerſas res naturales abſolutum habebis imperium. Porro quamvis formarum principium unicum, ſimplex per ſe & purum, quantum in ſe vinciri fugiat, diſpoſitione tamen primorum recipientium, in generationibus mixtorum conveniens corpus induit, ſibiq, ita unit, ut circumacta compoſitionis termino, materia potentialiter vivens producatur. Et forma quidem modo ſpiritui familiari nequaquam absque materia cognoſcitur. Ex materiæ vero paſſionibus quæ formæ virtus competat, docemur, atque indidem ad ſeparationis artificium inſtigamur.

Sed & in naturali materiarum quo ad actum promoventur motu, niſi patiens agente extrinſecus adhibito, eoque homogeneo, irritatur, nulla amplius ſuccedit generatio. Ars

itaque

itaque ita naturam imitabitur, ſi convenientia convenientibus junxerit, formisque à corporibus puris, nudisque ſeparandis intenta, corporum per formas proprias cognitionem præmiſerit: Utque cuncta mixta & compoſita in partes dividi concedunt; quousque ad ſimpliſſimum movens atque formarum ſcaturiginem penetretur, ſic in generatis analyſi commoda adhibita intelligemus num principia magica formalia, aut à primis cæleſtibus, aut à primis quieſcentibus, aut partim ab his partim ab illis deriventur. Sciendum amplius formam aliam quaſi extraneam quam principium movens appellare conſuevimus, diverſitatem ſpeculantibus, inferri videri, quod inhærere materiæ aut abeſſe ei liceat, ejusque juvamine à ſapiente natura & artifice, materiam ultimo informari, ignorantia ejus plane deſtrui. Atqui exactius iſta perpendentibus occurret nil diverſi erronei admitti, formamque

mo-

moventem loco ſaltem diſtare, eſſentia cum radice movendi conſentire: nec aliter formam elementorum corporalium ſubſtantiis obrutam aſtuoq; privatam quam ſimili principio radicali commoveri, atque hoc quale eſſe oporteat materiarum radicem explicare: moventis applicationem naturæ & artificis voluntati reſervari. Ergo cum diſpoſitio formalis principii moventis, ex materiæ centro eliciatur, materiam probe cognoviſſe propria propriis applicaſſe expediet, quo tanto felicius in principii moventis notitiam omnium operationum magicarum radicem & baſin unicam deferamus.

Subiacent itaque formarum exercitio quæcunque cæleſtium cum inferis influxu & commiſtione generantur, quorum conditionem per principiata principia analytice inveſtigando examinabimus. Occurrit vero duplex productorum ordo, aut eorum in quibus forma perpetuatur, aut á quibus ſeparatur, his reſolutio-

ni, quieti illis attributis. Adducitur autem mortis cauſa reſolutio, nec materialis nec formalis elementi vitio, quin potius elementorum frequenti converſione natorum, aut principiis puris extrinſecus admiſtorum calori reſolventi locum concedentium, ideoque quo ſimplicibus propinquiora eo ſolidiora & quietiora, longius evagantia internecinæ deſtructioni viciniora. Perſpicua hæc fient conſideratione cauſarum moventium & motorum, Cælique terræque aſſidue invicem ſe exercentium. Terra quidem non ſegnius agenti reſiſtente, quam cælo cuncta aggregare ſibi annitente. Hæ tantum virtutes cælo & terræ recte tribuentur ſi meminerimus ab elementis quibus animantur illas deſcendere, quemadmodum enim materiam forma vivificat, eique actiones vitæ competunt, ita virtus cæli & terræ formis eorum meritiſſime accepta refertur.

Quin vulgo ſcimus, terram humore

more exhauſtam, mori, nec magis terram quam hominem, ubi id ſalillum vitæ expuit animal rationale, ſed fecem & cadaver appellari, cælum quoque ſeu aerem exanimatum evaneſcere. Itaque præter animas cæli & terræ, aquæ & ignis nomine inſignitas elementa nulla agnoſcimus: Nec objiciat nobis aliquis fructibus elementa cognoſci, imo ſimplicia fructum nullum producunt, niſi in mixtis, ut inique ab elementis utpote ſimplicibus compoſitum exigamus, æquius aquam & ignem, quia productis carent elementa ſola judicaturi. Propter hanc porro ſimplicitatem nec aqua igni, nec aquæ ignis cedit, quin recedunt invicem ſingulorum ſalvis virtutibus, unde tantum potentiæ terræ ad patiendum, quam ad agendum cæleſtibus.

Ut igitur aliquid producatur, utque mixtio horum admittatur, utroque aliquantulum declinante inq; miſtis coaleſcente, ignis vitam &

mo-

motum aquæ, aqua corpus igni elargietur. Nam ab aqua principium corporum deſumi nemo ſanæ mentis inficiabitur, quippe humore carens, corpus exſangue & mortuum vitam non recipit, ea namque non immediate ſed aeris; aquam cognatione contingentis miniſterio inſinuatur, unde corporalium ſubſtantiarum principium aquæ debetur. Quid ab elemento ignis profectus motus univerſæ naturæ emolumenti tribuat, arguunt terræ meatus, calore fumantes, thermæ, ſulphura, tempora anni, lux, aer, ſydera & maxime ſtatis temporibus tumeſcentia, inque ſe rurſum reſidentia æquora, inſigni documento motus vitæque principium à vivido cælorum elemento proficiſci: Intermedia vero quibus adoperantibus diverſæ vires junguntur, quæque ad diſpoſitionem mediam ſimplicia invitant, elementorum matrices vocamus, quæ ignem aer, aquam terra concipit, quarumque ſymbolica

co-

cognatione vita corpori, corpus vitæ copulatur.

Sunt autem in omni naturali opere gradus quidam, & eſſentia & tempore primi, poſteriores reliqui, ad unum tamen finem reincidentes & formæ diſpoſitio motu caloris ab intelligentia excitata ſecundum naturam præcedit, qualiter & ignis cum aere combinatio, quæ terminum iſtum non transgrediens inq; generalioribus occupata, verum neceſſario enim otioſa, varias aeris figuras parturit, varie inferiora afficit, maria inflat, vacuum complet, temperamentum huic, illis ſalſedinem tribuit, ad ſpecialiora deſcendit pro loco generationis, puritate vel impuritate corporis occupantis principium generale ad generandum varie impellit. Puritas vero compoſitorum ineſt productis à ſimplicitate elementi parum recedentibus. Itaque propter æqualitatem activorum & paſſivorum, formalibus materialia nunquam deſerentibus,

bus, æternum incorruptibilibus recedunt à perfectione, quæ aut tenuitate aut ſorde materialium nimia liberum calori moventi relinquunt exercitium, Conformia igitur formis elementis materialibus obſeratis principia moventia, diverſos hos materiarum effectus diverſimode exercebunt. Illud admonere non diſconducet, principium movens, pollens actu, diverſis à materia locis gigni, nam cum in mixtione elementorum activa fortiorem paſſivis digeſtionem poſcant, dirimentur loco, quorum virtus finaliter diſtinguitur. Itaque aliis locis materia corporalibus elementis obruitur, ſubtiliore vapore, aere igne gravido in naturam formalem ſulphuream calcinantem & coagulantem perpaucis commixtivis liquidis connexum principium movens decoquetur. Hinc minerale ſulphur ſperma animale vegetabilis acinus maſculus ſeparatim à movendis repoſita applicatione demum calcinativa ſubje-

ctum transmeando, diſponunt gradus converſionis materiis conceſſos quorum doctrinam fuſiorem mineralia repræſentabunt. Generali conſideratione ignotum nolumus, animæ univerſi elementa prima moventis vicem, principium movens radicale in commovendis ſubjectis naturalibus obire, illa in potentiam actum transferri, hoc torpentem vitam excitatam exertamque in materialibus quieſcere formæ paribus, diſparia enervare, ultimaque diviſione in ſphæræ ſuæ requiem demigrare. Idcirco anima & vita mota extrinſecus, producta intrinſecus, ſervans, primitivi elementi ſui vigorem, quiete aut motu copula aut divortio productorum, materiam perpetuitatemque arguet. Quapropter poſtquam quædam generata vitam deſerere: quædam perpetuo durare animadvertimus, affirmamus materias moveri ad motum, aut ad quietem, hac mineralium ſubjecto inſigni, illo animalibus & vegetabilibus, diffe-

differentia tamen vegetabilium ab animalibus in gradibus reſolutionum demonſtrat, hæc illis converti frequentius; nam & rariores minusque raras materiarum partes moventia obſervabunt, nec temere procedent ulterius. Sunt certe diſſolutioni adeo proclivia omnia, ut nec mineralia queant inhiberi, quin corollium arboreſcens promant. Indicium vero minoris primique gradus reſolutionis ſubjiciunt non plane á terra ſeparata vegetabilia, radicibus, ſuccum nutrimento in terræ ſuperficie quærentia. Itaque & virtus attractiva, & digeſtiva ſegnior, calorem moventem quieſcentibus propiorem innuit, unde quieſcentium ideam quandam in vegetabilibus reſtare arguimus. Etſi enim forma pura abſoluta in vanum ab iis petatur inſitione tamen, ſurculis & propagine, ſimulachrum quoddam formarum abſtractarum præ ſe ferunt, ideoque veluti converſionem ſpecierum uni ſtirpi crediti, diſparis

 fron-

frondis, edentes ſurculi, eodem in locuſtis convertibili viſco nuttiuntur: Sic nec eſſentiæ medicinales quamvis arefactis abſcedunt; cum contra animalia ſola in terminum fixum mineralem reductionem putre factionem & virtutis medicæ deſtructionem evadant. Accidunt hæc vero qua per vegetabilium ad animalis converſionis gradum itur reſolutione, cujus veſtigia ceu rami toto corpore ſparſæ venæ fætus ad motum vegetabilium in loco generationis ſuæ formatus atque nutritus avulſus inde deinde, lucisque compos fibris epatis membrorumque reliquorum nutrimentum appetens, locuſtarum virtutem ſeminariam medullis abſcondens, profitentur, qua materialibus animalium formalibus minime æquis univerſum ſenſibilium genus formæ abſtractæ inquiſitioni ſubtrahitur: Tandem differentiæ motus differentias locorum aſſignant, ſic primo motu abſoluta terræ ſpecubus abſconduntur, ulterio-

teriora terra partim occultantur, partim ſub dio degunt, tertiam alterationem paſſa, à terra penitus reſoluta libere vagantur. Similiter converſivæ interiora animalium vegetabilium; exterioribus vegetabilium intima mineralium ſuperficiei comparantur: Mineralium punctum, terra formali ſimplicitate elementi aquei pari aquieſcit. Deinde ex quiete motum dimetiendo comperimus, mineralia vegetari properare, eſſe animalculis fæcunda vegetabilia. Tandum coaccedimus cælo, quantum recedimus à quieſcentibus; Itaque animalia cælo proxima nullum ulteriorem converſionis gradum appetentia in id; unde primus motus, reſolvuntur. Agit itaque in illis cælum ſenſibiliter, remiſſius in vegetabilibus, in mineralibus occulte, prorſus igitur quam mineralia principium quietis, tam motus principium animalia miniſtrabunt. At ſi materialium raritas cælorum formam captari inde vetat, ſuccedant animali-

bus atque vegetabilibus quæcunque ſymbolice illis cognata ſtabilius locum eorum occupabunt. Defunctis nimirum hæredibus proximis ad collaterales redit hæreditas. Intendit autem hæc magiæ naturalis pars, collectis formis imperatricibus animalia & vegetabilia quacunque libuerit flectere; vique intellectuali & medica ſi quid altius voluntati pie ſuccurrerit ſine mora perpetrare, cujus conatus poſſibilitas magica ſuperiorum influxu formis inferiorum occupatis harmonice collato ultro ſeſe inſinuabit, compendioſe vero nobiliora neglectiorum cognitionem recludent. Ita animalia, quamvis non ſecus, atque in vegetabilibus, quorum præſtantiſſima far, vitis, oliva, ſpecies eorum plurimæ repræſententur, in unum humanæ rationis nodum decurrunt, adeo cælis ſimilem, ut nec ex ſummo puteo aqua aquæ extrahatur ſimilior, nec lac lacti unquam fuerit ſimilius, cætera animalia pro gradu ſagaciora

aut

aut ſtupidiora formis particularibus ſuperne demiſſis materiæ conſonis incidantur: Sic irratiocinalium nobiliora ſingula, ſuis formis primis generoſa & diſciplinæ capacia torpent torpore perfuſa cælitus æquali videlicet moventi materia motui particulari ſidereo ſubjacente. Licet id animadvertamus generationibus de viis, diſſimile putrefactione generantibus. Aſinus, ſcarabeo, bos api pater, frugi prole hac illa lutulenta adeo impreſſiones formarum priſtinæ indolis ſervant imaginem. Senſus igitur in quibuſdam excitati, in quibuſdam ſopiti in homine ſolo abſoluti, punctum reſolutionis animalis oſtendunt; qua virtutes cæli paſſim palantes ſingulis animalibus rationem completam ſubtrahunt, quam ſingulorum congregatione homini largiuntur.

Ne miremur itaque vitæ, hominem creatum fuiſſe & morti, cum in illo ſtet cælum converſum reſolutioni quidem converſioni nulli ob-

noxium, ad prima namque moventia receptum, nihilominus vivit, quin vivunt elementa & requieſcunt nullibi, quam propriis ſedibus delicatius: Illud ſcire refert, cur aut æternum vivere, aut mori potuerit, qua de re inter infinitas opiniones, noſtram quoque conjecturam ignorari non patiemur. Etenim in promptu habemus mortis cauſam, à formæ ſimplicitate materiam recedentem atque inde animarum ſuo tempore in conformia puritati ſuæ corpora regreſſum. Neutrum horum ſat providis accidiſſet: Non reſolutio, non animæ à corpore diviſio, non regreſſus ſed æterna copula quærebatur. Haud immerito profecto. Imago namque rerum mortalium, interitum cariem mortem ſubit, quippe mortalium & caducorum, mortali manu victa effigies Dei omnipotentis imago, non magis quam Deus ipſe interibit, cui duplici microcoſmi & macrocoſmi nomen indidimus, illi converſæ, huic ſim-

ſimplici, hac numeroſa harmonica, illa vocali illius diviſione, nil huic accedente, nec illi decedente quippiam, imo tanquam faciei ſpeculum, ſic altera alterius articulos exprimente, utraque vero Dei imaginem pleniſſimum idearum fontem præfigurante. Sunt ergo eruntque æterna hæc idearum in æterno Deo conſideratione ab initio in tempore nata infinita, licet tranſitura, non repugnemus. Quid enim? Corruptum cælum ante creatum hominem fuiſſe, corrupta corrigi conſideraſſe, controverſia vacare arbitramur: Itaque homo non à cælo corrupto, ſed cæli incorrupti animam à Deo accepit, voluit Deus corrupta ignorari, ſola bona ſciri, bonum omne ſimplex viciorum multiplicitatem fugit, viciatorum huc illuc inclinantium impulſu, bonum malumque junctim noveris.

Propoſitum itaque homini lignum vitæ & mortis, utrum vellet eligeret, quamvis Deo caveret mor-

tem jubente, vita ei haud dubie deſtinabatur. Lignum vitæ contendimus principia coagulantia contraria reſolutioni retinere, ejusque fructu uſos, infinitæ beatitudini confirmari, ſcientiæ boni & mali arbori reſolutionis, cauſas cælique corrupti figuram inhærere. Pependit nimirum hominis fortuna aut feliciſſima, aut triſtis mox futura quaſi in æquilibrio; poſtquam boni malique diſcrimen malorum ignorantiæ uniusque boni ſcientiæ prætulit, quo ſublimius hac tetendiſſet, tanto fædius illo corruit, nempe notitia boni, nullam pugnam ad quietem, malum bonumque contrarietatem at reſolutionem inferens, ſub corrupti cæli viciſſitudines hominem redegit. Exinde ſolius Dei munere proveniens bonum, quam ſolicite accipiamus, plena periculi, levique nutante aura pendet ſtatera. Non temere certe reſurgit, non temere rem recte reputat, quem virtutum dulcedo ſemel deſeruit. Proinde propoſiti me-

memores ei quod præ manu, ſiquidem primæva præbendi recuſant, inſudemus, virtutisque amore ſuccincti adeo fidei & conſcientiæ ſiti utamur, ut quæ ab improbis teri faſtidit, virtutum ſemita excipiamur, vitantes, quo plenis viis curritur, præcipitium, attamen; nec vetitorum uſus, usque aut culpabilis, aut illicitus, ſi quando malo malum domari imperat periculum. Igitur, conſtare ſibi, nulla culpa palleſcere, ſufficiet, ſuſpicionem ſemper evitare prohibent à virtute ad libidinem proclives, plerique ingenitæ malitiæ, malitiam inſuper & ſcelus prava inſtitutione, conſuetudine, & petulantia ultro aggerentes, nec quicquam niſi unde fuſtis formidine arcentur, ſancti reputantes.

Hinc fraus, arrogantia, trux, ira, libita licere perſuaſerunt; quibus ut reſiſtas, ſtringe hunc gladium, qui te ſalutis non perdendi tueatur deſiderio.

Nihil

Nihil æquius, nulla lex, ea juſtior, qua quo petimur telum impune retorquemus. Etenim legitimæ defenſioni ferum convenit, pæna homicidam, ſervatorem civica manet, proprio longe æquius, debita patrocinio. Ergo facultatem influxuum cæleſtium nocivam defenſioni applicando, ſancte uſurpaveris. Esque id quo occultius telum eo violentius. Ita ne pereas Gradivus pater ut ameris reliqua operabuntur. Collectio autem irritamentorum cæleſtium quid poſſit, ubique experimur. Calor, frigus, ver, æſtas, ſenſibilia atque inſenſibilia omnia vitam inde, vegetationem atque proventum ſumunt, quod ſi ſiſti influxus poſſet, cui erit dubium quin perpetuis illis frueremur? Quæ nunc natura elementi moventis, dum inter ſe quoque confuſione radiorum & diſpoſitione radiantium, eorumque primis differenter commiſcentur, varie inferioribus affectio momentis ſingulis prætervolantia, animalibus

vege-

vegetabilibusve utpote corruptibilibus ſubjectis detineri, non inficiantur, ſtabiliorem ergo receptum ſuperis mineralia quieſcentia largientur, ſemelque animata cælitus, perpetuis intelligentiarum effectibus reſplendebunt. Quemadmodum enim in omni opere naturali propter formarum inquiſitionem materias conſideramus, atque inde principii moventis conditionem venamur: ſic in formis cæleſtium inferioribus ſtabiliter colligendis, ſubjecti formas recipientis naturam ſcite prius inveſtigemus. Exploratum namque habemus non coire contraria cum contrariis, quin imo aut radicitus aut cognatione ſaltem convenire debere, quæ optamus inter ſe coaleſcere. Idcirco mineralibus cæleſtium influxui quaſi compedibus futuris ad amuſſim cognitis relatione ſuperiorũ ad inferiora, atq; horum cum productis caducis, animalibus videlicet & vegetabilibus comparatione, quid cuique operationi commodum, quid nocens apparebit. Emer-

Emerget hinc autem altera magiæ naturalis pars, qua ad quietem movens principium exploramus. Etenim ſi mineralia quæ demonſtraverimus, vere quieſcunt, forma quieſcent: At non quieſcit converſive præter auri ſpecies mineralium alia; niſi quantum earum materiis, principia quietis naturaliter inſeruntur, qua potentia, & ipſas quieſcere concedimus; converſo autem earum, ad finem non alterabilem decurret, intermedio principii moventis non ex auro; ſed ipſiſſimis quieſcentium principiis, quorum æſtimatione corporum mineralium cum cæleſtibus affinitatem demonſtrabimus deprompti.

Abſolvitur itaque univerſæ Magiæ naturalis doctrina duobus capitibus, altero principio quieſcente ſeu lapide Philoſophorum multum ob divitias, vulgo amabili materiam mineralem ultimo alterante: altera harmonia cæleſti quieſcentibus madidis virtutes formales, corporum ani-

animorumque rectrices inſerente, totiusque naturæ imperatricis ſtabili impreſſione cuncta perfundente, quorum omnium arcana certis declarationibus theoricis & aliquantulum practicis recluſiſſe, ſecretiſſima ſaltem delineaſſe fuerit operæ pretium. Cæterum mineralium ſpeciebus diverſis in præſentia omiſſis, de his ſolummodo ſermonem ſeremus, quorum principia metallis inſerviunt. At vero ſunt metalla corpora mineralia, fuſibilia, extenſibilia, ideoque iisdem proprietatibus principia eorum inſigniri poſtulat; quæ ſubſtantiarum eſſe ex principiis deſumi arguit, ratio, qua quæ eadem iisdem cum fuſivis atque extenſivis ſtare quieſcentia exordiis, convincimus, nullis niſi ultimo alteratis extenſibilioribus quietioribusve corporibus ſpeciem, horum haut ambiguam, vel ipſa principia formalia & materialia metallica miniſtrant; nempe elementorum ſimplicitati propiora propriis perfectionis documen-

mentis examinibus incorruptam, nullam ſui diviſionem admittunt, qua iis reſolutioni obnoxiis, poſt ſeparationem formalium relicta fex quæ mineralium principiis nulla demonſtrat, elementa examinantia puritati ſuæ convena, ſibi vendicantia, generalia infinitis modis corrumpere abſiſtere puritati, ſibi ceu ſimplici ceu mixta ſimilibus. Ob talem itaque principiorum metallicorum puritatem ſulphur & argentum vivum, generatis aliis univerſis exitioſis examinibus perdurant, igneque aquaque indelebilia, incorruptibilem quietem radice etiam converſorum puriorem ſortiuntur.

Sed qua ſerie aqua ignem movendum movens [quamdiu matricibus non vincitur] fugit, quaque vincta coeunt, ea argentum vivum forma movenda nobile inflammabili ſulphureum ſubſtantia, principium movens minerale præberi tam perſvadet, quam elemento ignis ſimplici adoperante ſe & alia produci.

Pro-

Proficiſcuntur nimirum formæ & vitæ rerum materiarum conſtructioni & converſioni commodæ à formali digeſtivo & vivifico principio, formæ quieſcenti craſſius ſubtiliusve ſubtilioribus craſſioribusve decoctionibus, continens accerſente. Scilicet conceptio elementorum, prima in matricibus ſuis adjuta, loco tanquam altero generationis principio paulatim ſupervacuas matricum partes ſeparando, elicit ſaturum virtute formali miſtum principium, hac neceſſitate naturali, quod eo deficiente nulla materia formalium miſtorum exercitium admittens, generaretur. Attamen materiæ convertendæ convertentis integram ſubſtantiam inſeparabiliter immiſceri ita cenſemus, ſi recipientia converſis utrobique ſimilia extremitates primæ diſpoſitionis formalium utpote formando æquales non aſpernantur. Igitur in reſolutis totum formale primum amplectitur materia, nec diſpoſita ſemel motave di-

mittit, nullis nimirum controverſiis ullibi occurſantibus, obvenit, id vero materiarum & formantium à puritate ſimplicium regreſſu elementis materialibus altius formam ſeci immergentibus, aliaque apparentia materias induentibus, ideoque reſolutioni deditorum ſeminibus liquidioribus rarioribusque formatis elementi præterquam in ſubjecto deſignato indicium nullum exprimentibus. Quare quo recedent iſta à formali ſimplicitate longius, quo rarioribus ſubjectis inſeruntur, eo ſenſibiliora quidem, at maturius interitura metallorum quieti ſacratorum principiis formalis energiæ abundantiam vel crudis edocentibus cedunt. Etenim igni proximiora adeoque formaliora & libenter hunc concipient, eoque gaudentia ad naturæ ſuæ vicinitatem commigrabunt, aut conversa coagulando, exſiccando, calcinando, aliisque formalium inſigniis conſpicua, longe ſubtiliorem virtutem exemplo ſulphuris mine-

ralis

ralis radici fixæ aſſignabunt. Converſionis autem neceſſitatem figendis animandisque quieſcentibus amicam, flammæ prona ſulphuris ſubſtantia ſuggerit, eam namque inflammabilem materiæ metallicæ ſtabiliter uniri negat, humido onuſta quieſcentium materia, nihilominus principiis movendis aqueis absq; coagulante miſtum eſt medium, quod proferre recuſantibus radix ſulphurum non inflammabilis congregationem partium humidarum cum ſiccis, ſimilesque ſiccis fluidas, procurabit. Deſideramus certe elementa non ut elementa prima, ſed miſta pura fieri corpulenta quieſcentia: Idcirco ſulphurum cruditas ad ſimplicium mixtionem converſione inclinabit. Fit vero converſio quo principiorum partus decoctionis tenore, dum calor generationum inſtrumentum, potitus propoſito, productum deſtruere poſtmodum conatur, qui ut non violentus generandis, ita placidus interimendis,

otioſus ubi nucleatis radicibus inconvertibilibus in quod agat defuerit, cumque in mineralibus; præſertim ex ſulphure ultimo alterato, commodum materiæ componendæ commovendæ principium movens extiterit. Intervenientia extremitatibus his media ad purum ab impuro à fugitivo ad fixum ducentia radicalibus etiam multum appropinquantia, puro perfecto excluſo, haud raro occupant materiam quamque in compoſitione principiorum; eorumque converſione differentiæ, in principiatis imitantur, atque ita graduum ratione, nec ſulphur aliter quam per gradus decoctionis, productum, non ab igne ſimplici ſolo, ſed concepto in aere deſcendit: Eſt nimirum aer univerſus igne animatus, ſed prævalente aere occulto ejusque amoto ſuperfluo eluceſcente: Itaque ſilicum colliſione ſcintillam provocatam ſtulti ex terra proſilire autument, nos colliſionis motu humidum aereum ſuperfluum

eli-

elidente animam & formam aeris quaſi veſte detracta nudari opinemur, ea probationis fiducia qua conſtrictus aer amotis vaporibus ſubtiliſſimis in ſulphuream ſubſtantiam decoquitur. Sane diverſitas ſulphurum licet ſpeciebus & individuis infinita, triplici finitur differentia, vaporoſa, liquida, coagulata, cui ſingulæ ignea vis inſita, & incluſa, ideo quod igne animatur, ignem vomit, ſed vaporoſum gelida Lunæ regione interclusum, loco generanti, ſimile fulguri, ſtellis cadentibus, ſimilibusque aliis aptum corpus vaporoſum, liquidum, corticibus arborum, aliorumque vegetabilium, concavitatibusque animalium reſidens, liquoroſum aſſumit. Solus cavernis abditus aer meatus terræ aſſidue penetrans, continens ſubtiliſſimam in naturam igneam convertibile exſugens ſolide coagulatur. Perfunduntur igitur ſupera & infera, altiſſima & profundiſſima, præſentia & occulta uno eodemque vivifico cæli

 ſpiri-

ſpiritu, ad quem unum eundemque reſpiciunt formæ rerum tam corruptibilium, quam incorruptibilium, tam animatarum, quam inanimatarum, unde etiam radicalis hic elementorum; quamvis materialium interventus, variæ apparentiæ, conſonantia, generatis amorem præſidiumque mutuum reliquit. Non enim motu generationis ad aliam apparentiam ſubjectum alliciente, radix quoque formalis mutatur, quin imo exeritur & ſubtiliatur amplius, ideoque homo ſubtilior ea ex qua fit materia, ratione ſenſibusque decorus, documentum præbet ſubtiliari materias; ſimul ac formam ſepultam principium movens radicale tetigerit: Dicimus autem ſubtiliari materiam reſpectu formæ exortæ & aliquantulum ſolutioris, agilioriſque, nam materiæ quidem plures partes elementatas converſione lucratur: abſolutæ perfectioni nocivas ut neceſſario fateamur materiarum non motarum elementa

mate-

materialia converſarum puritatem anteire, hæc formæ motu & vigore ſubtiliora vocari. Deſumitur nempe rerum denominatio à formis ſpecificis, hæ à proprietate principii moventis formalis, qua principiorum virtus primitiva moventi cohæret. Summam igitur utilitatem formæ abſolutæ originis ſuæ beneficio, partium componentium conſideratione proximam materiæ, ultimam materiato attribuimus: Reſpectu formæ commotæ, materiato, quamvis corporali craſſitie nequiori materiam materiæ immotis elementis converſæ & materiam & materiatum cedere jubemus: quæ omnia eo referimus, ut intelligamus naturali aut artificiali converſione formis nil deperire, quin convertendorum cum cæleſtibus cognatione cumulata converſa pollere: quocirca principium movens minerale inflammabile, elemento ſimplici proximum, aere, unumquodque vacuum complente natum formalibus

proprietatibus ſcatens, ſubtiliore & multum penetrabiliore virtute converſum redundabit, quod vos propter cæleſtium cum inferioribus copulam in altera Magiæ theorica & practica parte meminiſſe juvabit. Porro quod ſulphuri plane cognoſcendo conducit, agamus, eo enim probe perveſtigato, ſolos rudes reliqua latebunt. At nec crudi pauca quantitate argenti vivi grande pondus inhiberi, nec qui cruda crudis præſtent, recenſebimus, imo miſtiones à cruditate differentes examine corporum analytico indagemus. Nempe nequit ſulphur crudum fluens liquido argento vivo corporis formam conciliare, priusquam aliam conditionem & ipſum coagulans ſubiecerit. Etenim licet argentum vivum viſcoſitatis principiis refertum unicam metallicæ fuſibilitati & extenſioni materiam exhibeat, niſi movente igneo formali, motuque calcinante moveatur, corporalitatem usque recuſabit, fluente infini-

finitum ubi forma fluxum non ſiſtit materia, quæ commode quo propendet invitata, ſuo profundo colorabitur, perficietur: Incommode irritata corruptorum ſulphurum nævo claudicabit. Ergo coagulatio metallorum ſulphure aut omnino alterato infecto, aut alterato crudo participante, aut alterato penitus depurato excitatur, quo ultimo perfecte & radicitus motum miſtum impuro crudum imperfecte motis reſcribit materiis. Sulphure itaque feculento feculenta generata extremitatibus corrumpentibus fæda prodibunt, eoque examinibus evaneſcentia hinc cruditate ſulphuris fugiente, non fugiens diſſipante, illinc poroſo Spiritus comburente, flammæque furorem tenſo gutture glutiente. Occultari vero utraque hæc imperfectorum ſubſtantiis, ſat manifeſto uſu diſcimus, nam ne quis ſulphuris crudi portionem imperfectis admiſceri eat inficias, vel imperfectorum perfectiſſima con-

tendent. Et ſunt perfectioni approximantia deſtructionis citæ expertia, quale ſtannum auro argentoque vicinum, quod tamen commune crudum ſulphur, idem cum metallorum ſulphure calcinante æſtimari, idemque materiæ imperfectæ movendæ adhiberi ambigi tollit. Inflammatur tamen pari æquaque ſalis nitri parte commiſtum, ignique mediocri adhibitum, pulveris pyrici ſimili impetu. Quin quæ igne conſit calcinatione communi, odorem ſulphuris manifeſte percipi, ſciunt, quibus cordi fuit metalli hujus eviſceratio; ſed aliquando majorem ſuperficies plumbi ſervat ſulphuris comburentis particulam, argentum vivum crudum fumo appenſum quaſi cohibentem, aurumque odore macerantem, fugitiva ſcilicet ſulphuri fugitivo argenti vivi miſta ſubſtantia cujus etiam ablatione, quem repetitis calcinationibus ſtridorem ſtannum ponit, plumbum argenti vivi commode ſuffitu acquirit,

rit. Atqui nec durorum genus talis corruptionis expers, ignitione, & mallei percuſſione ſulphure ex flammæ propinquiore ſede elevato, combuſtas, ſquammas exuens, qua cuprum ignitum extinctumque nigrore diſquammatum, poſtremo igne flammeo continuato in calcem redit, abactis partibus humidis partibus partes conglutinantibus, tanto magis quo poroſius ferro quoque in calcem reducibili. Hinc ergo dimanat calcinationis vulgaris contemplatio, dum calore violento elevatur quicquid fugitivum in corporibus, ubi differunt effectu principia, quod argentum vivum crudum admiſtum corporibus, vel potius ſegni radice torpens, per ſe quidem fugit, ſulphur vero inflammabile & ipſum evaporans, quicquid præterea prehendit, in fugam ſecum rapit, quo fit humore privata, in cineres collabi corpora. Quia autem calcinatione communi ſpiritibus crudis extraneis non iterata ſola accidentia citra

de-

deſtructionem totius tolluntur, calcinatis fæcibus, paſtillo retenti reducta purgatiora recipiemus. Sed in ſuperficiebus radicem nil attingentibus, quibus calcinatione, & reductione liberata corpora radicalem ſplendorem adipiſcuntur, minime morandum: Et radicum quidem conditionem tota ſubſtantia ſincere vel perverſe mota exponit: forma enim trahit paſſiva quocunque moventi aut vere radicali, aut radicali cognato libuerit, hoc metallorum radice delebili impura, inſtabili illo perpetua futura. Idcirco ſi metallorum impenſe mollium, aut impenſe durorum materiæ movendæ radicalis puritas adhibita foret, corruptiones omnes evitarentur: At conſtat nullum durorum, molliumve imperfectorum examinibus, non interimi, at tardius quædam, quædam citius, cauſis, quibus iniquum operiri fas, certamini ſuccumbere. Sunt autem cauſæ corruptionis corporum extremitates ſulphuris, & ar-

argenti vivi, licet enim hoc per ſe corruptione nulla inficiatur, non commotum tamen, igni adhibitum, fugit, ideoque viſcoſitatis principiis amotis, tota corporum ſubſtantia interit: nec refert, crudum properantibus fugere corporibus, argentum vivum extremitatibus corruptorum ſulphurum implicantibus, ignem certe diſſipantem vitio radicali admittentibus. Exinde igitur quantum fuga & poroſitas fixa officiat ipſis fundamentis, diſcemus. Etenim principiatorum corpus & eſſe iisdem quibus principia proprietatibus farcitur, quemadmodum ſulphure fædo abundantia eadem qua principium inſtabile labe aſperguntur, ſulphur namque liquabile & inflammabile cinnabrii documento denſitati corporum inutile, neceſſario amplius decoctum, digeſtionum varietate proprietates mutabit. Sequitur nimirum decoctionem gradus, calcinatio, completa aut diminuta: Deinde calcinata

parti

parti crudorum miſta aliud, aliudque tertium proment: finis tamen veræ calcinationis ſtat fugitivi humidi remotione, ceu cum ſiccis calcinatorum particulis firma colligantia: Unde ſulphuris humiditas tantum abeſt, ut contra connexa, violenta, ignea, penetrativa, diſſolvere laboret, qua ſulphur quoquo modo calcinatum in terra ſicciſſimam humido fuſibili penitus ſpoliatam converti, metalla ſicco ſulphure onuſta, ægerrimo fluxu profitentur. Contraria his ſpiritibus crudis omnia: ſulphur vel arſenicum ſuper corpora dura projecta fuſionem ſine ignitione etiam adducunt, itaque fuſionis tarditatem defectus humidi celeritatem ſuperabundantia. Scilicet hinc ſtannum frequenti calcinatione cum argenti vivi fugitiva parte ſtridore abolito, atque altera conformi huic ſulphurea facilius plumbo induratum, juſtæ ignitioni addici nequit: quin calcinatum ignis reductivi, non ſubiti diuturna patientia

entia humore radicali mercuriali fuſivo vacuatum, vitrum defluit; debite reducto quamvis redeat duriuſculum, radicali fugitivo neutro citra totius ſubſtantiæ deſtructionem delebili fuſcam ignitionem atque fuſionem deamante. Præterea moventis ſtanni conditionem ſulphure ad fixionem declinante, ignis expreſſione maxima citrino ſublimatorii ſpondilia veſtiente edocti affirmamus colore fixionem at elevato deficientem, at miſtionis cum argento vivo ſubtilitate pura propinquam portendi.

Atque ea ſtanni mineram perfectis admiſtis vix unquam carere. Paucitate autem ſulphuris ſtannum plumbum vincit, argenti vivi inopia à plumbo vincitur, calcis ſemper albiſſimæ, corporis fugitivos Spiritus examinantes denſitate diu ſuſtinentis, confuſa ſibi dealbantis, nimiaque argenti vivi exuberantia frangentis indicio. Porro nimium ſulphur rubeam plumbi calcem

parit,

parit, diutina verſura, argento vivo atque ſulphure fugitivis emotis reſiduam. Sed is ipſe color fixionem innuit, ſulphur enim magis magisq; calcinatum, pro gradu calcinationis intenſiore vel remiſſiore, ignis colorem impenſius adſciſcit, neque hercle injuria, ſiquidem calcinata, igneam crudi naturam ad ſubtiliatam, calore & effectu manifeſtare oportebit. Obfuſcatur tamen color igneus eminens admiſtione ſubſtantiæ terreæ, aut occultatur argento vivo. Fuſcedo itaque plumbi & ferri multa terra puritate rubedo cupri confit: At in purgatis calcibus, & ſolutionibus quibusdam appropriatis rubicundius ferrum, deinde cuprum, ultimo plumbum, ſubtiliſſimum auri ſulphur, argento vivo ſeptum, erutum & ſeparatum, longe refulget rubicundiſſimum. Fæditas ergo plumbea inquinato argento vivo & ſulphure fugitivo adducta manifeſte oculis ſubigitur: Nam ex calce rubicundiſſima argentum vivum

vum currens revocatum, multa demum acrium, & ſalſorum lotione livore terreo eximitur: quin plumbi argentum vivum à ſulphure facile ſeparabile, grandem ejusdem fugitivi copiam commonſtrat. Etenim fixiora acredine ſalis vitriolati jungunt ſibi argenti vivi humiditatem auctiſſime, crudiora communi ferme cinnabrii & ſublimati Mercurii vivificatione faciunt divortium: ſic plumbi cruditas pinguedine ſalium fixorum ſolubilis, ſolo quandoque igne carptim delebilis, dividi compoſiti partes crudumque argentum vivum decurrere permittit; cujus præparationis modum utpote, quod credimus, vulgatum, ſubtexere his ſuperſedemus. Videtur nihilominus calorem plumbi calcinati ſeu minium, ſupradictis repugnare, fixum ſulphur fugitivum ſuperare. Expediet huic præter alia plumbi præſertim ſublimatio, cujus expreſſione nulla eſt elevati ad reſidens, aut coloris aut ſubſtantiæ differentia:

Idcirco, ſulphur fugitivum ſuperans, trahet ad volatum fixum inſeparabiliter junctum: Unde etiam coloris fuſionis & mollitiei cauſis, poſt calcinationes & reductiones reſiduis medullitus, ſine ignitione fuſionem, ſolidamque mollitiem minime refutat. Eadem cauſa plumbi dulcedinis: calcinata enim acerrima, ſi ut in plumbo temperantur, concurſu vitriolatorum, cum proprietatibus ſalis armoniaci reſoluti & tartari putrefacti dulcorantur: Quorum ſingulorum ſymbola examinibus univerſis plumbo maxime diſtillando, ſeparando in partes fugitivas ſalſas, ſulphureas, coloratas, pingues, acredinem aluminis rochæ, â ſagaci & induſtrio chymico non ſine ingenti delectatione deprehenduntur. Noverunt ſimiliter experti proprietatum collatione ſtannum ſali communi reſpondere: iisdem ſublimando, diſtillando, calcinando, ſignis utrobique familiaritatem ſaliumque inter ſe plumbique, & ſtan-

ni

ni diverſitatem aſſignantibus. Sulphuris autem fugitivi amicitia, haud multum corpora mollia diſparia, adeo cruditatem inflammabilem amant, ut ſulphure calcinata utraque in alienam ditionem, ſtannum in album, plumbum in fuſcum tranſeat antimonium. Panditur hinc cæmentorum in corpora metallica profuſa tyrannis: Spiritus namque crudi mollibus cognatione aſſociantur, à duris abſorbentur: at fugitivorum copia fixi quantitatem ſuperans, totum [quod artificiali corporum elevatione palam] in fumum reſolvit: Quanto igitur meri Spiritus corporibus incluſis ſubtiliores & penetrabiliores, tanto examinant acrius, nec quicquam ultimæ alterationis terminum non attigiſſe impune patiuntur. Ita ſulphura comburentia ita, pleniſſima crudis marcaſita plumbea, argentum quoque diminuto motu rariuſculum ſupremæ ſortis diſſipationi dedicat. Mitius plumbum examinans curva immedicabile

bile falce reſecans, fugitivis præ reliquis ſotum, cinericium meritiſſimo attributum, miſta abſumit non miſta inviolata præſtat: præter tamen ſpirituum plumbi fugitivorum veluti corporalitatem ſecum ferentium craſſitiem, argento parcit, ſubtiliori quam ſpiritibus non abſolute crudis prævio, & illud ipſum cinericii examine prima ſtatim fronte puſtulæ igneæ expreſſe teſtantur.

Diverſitatis ſigna hæc plumbo eodem examine ſtanno & cupro confuſis, nulla, auro argentoque per minima plumbo non commiſcibilibus, nec ſat raris plena demum imperfecti abſumptione deponentibus. Pereunt ergo dura quoque corpora labe ſulphuris fixi terrei ignem ſpiritusve comburentes, excludere impotentis: & aut calcinatione ſimplici in cineris reſidentis, aut multiplicatis fugitivis internecina peſte occumbentis. Facit eadem ſulphure terreo nata diſtenſio dura corpora ſonare, ſed raucum niſi temperata:

at

at muta ſonoris juncta oppletis aliquantulum meatibus, acutum cient: Unde orichalco, ſtanni cum cupro, auri cum argento miſtura concentus optimi. Quinimo ſimilis miſtio ligaturis metallicis neceſſaria: auri ſciſſuras ſolidaturi cum auro argentum conflant, alterum ob ſolidandi cognationem, alterum ob celeriorem in miſtis ſolidando fuſionem: Unumquodque enim corpus ſeparatum ab alio, tardius fluit, partibus æqualiter durantibus: Qua commiſtione alterius objecto igni diſtractione corpore, ſolidans ſolidandis alias inutile, ad fluxum provocatur proniorem. Sic argenti gluten cum argento orichalcum: Stanni & plumbi mixtura ligamen mutuum: Ferrum tardiſſima fuſione, ſolo cupro vinciri ſuffert. Simili fere à corroſivis liquoribus corpora invicem ſe vindicant miniſterio: Aurum corroſivis aquis dilutum, injecto argento reſidet: Argentum cupro: cuprum ferro: quo artificio flammulis cu-

 preis

preis vitriolo demptis ferrum in nobilius traduci, ſunt qui ajunt. Separatio autem hujuſcemodi denſitate vel raritate metallorum contingit, & bibit rarum avide humidum, qua ſubtilius corpus, poroſioris adventu ſpiritibus ſalium eximitur, quemadmodum ſalis tartari ſiccitas acredinem aquarum corroſivarum abſorbens, omne corpus revocat. Hæc nunc perfectionis & imperfectionis contemplationi directa ſunto. Vix absque vitioſo bonum ſcitur: Is frugi, qui bonumque malumque juxta tenet, ſoli bono dans operam. Quod nos in ſecretiſſimis his ſcientiis unico corruptionum repudio conſecuti legare bonis ſponte inſtigamur. Scilicet duplices corruptionis cauſas duplici metallorum corruptione, propoſuimus: Quando ergo productio materiæ metallicæ, inſequensque motus ſulphure conſtet: Id vero extremitatibus quieti varie adverſetur: Tertium radicale extremitatum expers, enucleemus. Rude

at

at appoſitum exemplum ſilicis, diviſio ſubjicit: Is igni admotus, humiditatem ſiccas partes conglutinantem dimittit, penitusque exareſcit: Atqui terra talis nullius uſus, profundo tamen ſui abſcondit ſalem ſolubilem, fuſibilem, liquidis commiſcibilem: Ita me hercule extrema bina torpentia tertium purum occulunt inſigni documento, edendo nucleo tollenda eſſe putamina.

At tanto ſale radicem ſulphuris infici non propugnamus: Diverſitas namque ſalium radicalium principiorum compoſitione differenter emergit: & ſalſedine vincentia minus coloris moventis, primitivo elementorum congreſſu, nacta terrei corporis plus, aerei minus induerunt, quapropter calcinata quoque terreſtri albeſcenti humido ſuperato, liquidiora fiunt: ſulphurea radicis rubeæ dote intenſius ſiccantibus. Haud ſegniter certe ſulphur calcinatum non ad ſalem quidem, ſed ad ſalis materiam tendit: non ſulphur

illud craſſum, poroſum, fæculentum: At radicale ſolubile: conſtat nimirum pura dici oportere, ſimplicitati elementi quam maxime conformia. Ideoque ſic corpus metallicum quieſcens, ſi fuſibile, ſi extenſibile deſideramus, ſimili coagulo principium fuſibilium contrahamus; verum elemento aqueo nil ſimplicius per minima commiſtibili, nec commiſcibile ſalis aluminumque naturæ expers: Idcirco calcinatis cunctis ſalium naturam ſectantibus, eadem lege ſulphur radicale humido aqueo ſemel unitum ſemel naturaliter collectum æquas puritate partes, nec deſeret, nec deſeretur. Sed & hæc ſulphurea radicis vincens ſalſa ſiccitas, hinc radici neceſſaria quod ſuperans ſalſum, humido extremitatibus exutum perpetuo fluidum, corpori denſiori abſiſtere quam nunc ſulphur prævalens, effrenem humidi miro naturæ ductu compeſci licentia. Hinc denique viſcoſitas metallica: Conflatur namque viſcoſum ducti-

ductile juſto ſicci cum humido coitu, nervis extenſibilibus veri indicibus: quo junctum humiditati principii metallici, ſubtile ſulphureum, viſcoſitatem miſtura, fuſionem vincto liquabili, fixionem ſicco, ſtabili non inflammabili principiatis conciliabit. Poſſet tamen dubitari terminum proprium fixum ex improprio terminatum ex argento vivo proditurum, quod miſtum firmiter ſicco humidum cedere loco recuſans, ſuperficie ſpirituali perpetuum retenta, nunquam alteraretur: quouſque enim perſtat prima elementorum diſpoſitio ſuo loco quæque immota viſcoſum corpus malleo ſubducent. At vero ille ipſe ſuperfluus argenti vivi humor & crudo & alterato commodus, nec ſublimationis, nec alio quopiam artificio delebilis, utrobique naturali neceſſitate poſtulatur: Et tamen argenti vivi vulgaris currentis plano haud quaquam acquieſcentis ſubſtantiam paulo madidiorem, generationi converſivæ

naturali applicari hariolamur: nec ſane aliter ſiccitas argento vivo cru- do, aut viſcoſitas converſo illi coe- undo, huic calcinando cohæret, ſul- phurve purum formale nimio ſuc- culento non ebrium erutumque li- quidiſſimam elementi naturam ad alteratam, alteratam ad veri viſcoſi finem pelliceret.

At pro ut prima ſicci applicatio humorem temperamento ſufficien- tem aſſumit, reliquum reſpuit: Ita principium eo, quo movebatur com- ponendum denuo movente motum inutiles corpori humores fluidos ſe- gregabit, elementumque purum ad terminum improprium terminante ſicco translatum, ulteriore gradu eo ipſo ſicco terminabit. Scilicet fit hu- midioris ſubjecti condenſatio evapo- ratione partium humidarum ſubti- liſſimarum, & conſervatione ſicco profundius incorporatarum, harum- que diutina concoctione, quouſque humidum ſicco, & ſiccum humido adeo uniatur, ut ubi unum, neceſſa-

rio ſit & reliquum. Quia igitur in argento vivo tale humidum exuberat: quemadmodum ipſum inconditum humidum ſua compoſitione rejicit: ſic radice calcinante tactum plane ſiccari renuit, partim evaporans, partim radici decoquendo, inſeparabiliter copulata ea humidi abundantia, qua ſulphur purum radicale coagulationum cauſa princeps fugam usque meditatur. Nam ne radicem argenti vivi ſulphuream inflammabili fuga laborare opinemur, facit nulla cum humidis aqueis oleaginei convenientia, quæ ſimplicibus quoque elementis nulla; nec eſſe fixum poroſum commixtio concedit: At, omnino tertium, fixum ſalſum purum ſuperante, humido fugiens, ſuperans, humidum freno coercens. Falſa itaque vulgaris opinio, argentum vivum componi terra alba ſulphurea ſubtili humiditatem pellucente, conſule naturam originis ſimplicium, ſplendorem formalem principiorum compoſi-

poſitione aliquatenus obnubilatum, calcinatis ſulphureis poſtliminio referentem, conſule ignem præcipitatione rubicundiſſimam calcem promentem, candore quo forte occæcaris humido imminuto defloreſcere, auro ab intrinſeco colorem provocante, non decoctione, utpote crudo inimicum, parante, erudieris; eoque ſemen hoc metallicum ob radicem accidentaliter fugientem, naturaliter ſtantem rubicundiſſimam, aurum vivum potius quam argentum vivum denominabis. At occultatur color ſulphuris radicalis humiditate argenti vivi crudi enormi; Etenim pauca quantitas foris, accita ruborem omnem abdit, quod cæmentatione auri, cum thutia, cupri cum cadmia, & cupri cum pauculo ſtanno conflatione conſtat. Ideoque calcinatione, præcipitatione, remoto velamine radix iterato pervincet. Tandem penſitatis prope præmiſſis noſcitur, argentum vivum in mineralibus ab aduſtione conſer-

vatri-

vatricis aquæ officio fungi corpora interitu, quantum in ſe, prohibere, at impediri corruptionum cauſis quo minus proprio eo fruantur corpora patrocinio. Salium acredines ſeu ſpiritus diſtillatione expreſſuri uſu didicerunt, condenſa corpora non eſſe audientia imperio: miſtum vero terreum calcinatum prorſum, fuſionem inhibens elevanti colori acceſſum præbere: plane eadem conditione ſulphurum, cujusvis generis invidia ſaluberrima argenti vivi humiditas, metallis extorquetur. Sed vero cumulatæ corruptionis cauſæ exitium accelerant; differunt diminutæ: tardius quoque multo argento vivo locupletia fugiunt: celerius arida, flammæ puris & impuritate admiſſiva; & ſubtilius ſulphur fixioni approximans; argento vivo puriore irrigatum ſuperatumve multa vi aduſtibilium & fugitivorum, demum expugnatur argenti vivi ſuperante poros obſerante quantitate, inque ſe, ſeſe: colligente,

pe-

peſtem perniciemque arcente diutius. Poſſe igitur argentum vivum igni reſiſtere, & adulterari poſſe varie diſcimus. Nam quæ cauſa fugæ non depoſitæ præter vitium ſulphurearum, extremitatum vero motu argentum vivum fraudantium alia? Cum in illo ipſo vel crudo & pondus ſubtilitate componentium immenſum, & ipſum terendo ſalſisque commiſcendo, tactui obvia viſcoſitas interitum abominentur. Sufferenda igitur aliena accerſita labe labes: non tamen adeo cedente argento vivo, quin grandi ejus quantitati, quantitatem minorem, purius contractam, atque inde ex numero imperfectorum, ſtannio cuprum, cupro plumbum, huic ferrum ſuccedere teſtato imperet.

Vincit hoc agone argentum reliqua veluti ignes luna minores. Attamen etſi plumbo poſtulatum examini oborientes puſtulas temnens, incolume evadit. Ultimo alteratis debitam fruſtra ſperat lauream,

quam

quam diu crudi ſulphuris & arſenici familiaritatem non reſignat, Labat imperantibus his perfectio; argenti vel aſperæ probæ ſucceſſiva paucula diminutione, radice rariuſcula devie movente, aſſentiente. Horret nempe perfectioni inimicum perfici deſiderans: Extreme extremis ſterile poſcit, movens extreme, lauta argenti vivi ſubſtantia: cui quicquid peregrinum hoſtile.

Qualiter teſtudo domicilio prorepens, quodcunque membri ſui nudaverit injuriæ obnoxium habet; in ſuum collecta tegumen, tuta, ſi cum ros non cadit, cumque algetur maxime, ſuo ſibi ſucco vivit: ſic argentum vivum diſſono gaudens, ſuo ipſius lætatur interitu: denſatum, corruptibili ſulphure ſolutum, viſceribus compactis ſecurum humido ſubtili poros opplente, ſicco humido æquali denſari patiente, exitiabile ſulphur crudum longiſſime excludit: unde ultimam perfectionem metallicam, ſulphuribus cæmen-

mentis examinibus, inviolabilem argento vivo unice acceptam ferimus. In caſſum vero perfectionem iſtam otioſi præſtolabimur, intorpens materia commota cum corporalitate lenteſcat, quod radice argenti vivi propria conari exordiemur, ſiquidem deſtructioni ſubſcribunt reliqua. Poſtquam ergo argentum vivum ſulphure ſubtiliſſimo ſolubili commiſcibili conditur, radix ſulphure pura malum excitabit; arte & natura & diverſis hujus applicationibus & iiſdem claris effectibus: Atque hi ultima alteratione, hæc calcinatione conſit: Et eſt calcinatio duplex, altera violenta communis flamma, humidum malefidum peſſundans: altera naturalis formarum ſulphurea, ignem vitamque radicibus materiarum creditam in actum provocans, unde generationes ſenſibilium atque inſenſibilium omnium calciando incipere perſuademur. Sed calcinans radici vere uniri oportet, nec unitur præterquam penitus

idem,

idem, quemadmodum aqua aquæ, ignis igni. Ita in animalibus vegetabilibusque, maſculinum ſeminis fæminini radicem pungit movente aculeo virtute calcinante aperitiva dotato, & irritat ſulphur purum, minerale argenti vivi radicem, eadem eandem quæ argenti vivi cruditati præbuit exordium. Igitur principium movens formale mateteriæ admotum apprehenditur à ſimili & ipſo calcinante: calcinata humido ſuperfluo calore amoto ſicceſcunt, ſiccum avide ſugit humidum, ideoque in argento vivo calcinando mota radix ſicco totam materiam reſolvit, dimiſſoque tantillo dealbante reliquum fortiter miſtum medullis ſiti hiantibus abdit, qua pauci rubei cum albo multo miſtura corpus creatum citrinum, experta radix fixione, humidum epotum fuſione beat, etenim naturaliter cederet igni humidum, quod nec nervo irretitum oblitum in converſis originis, quod unum quit, fluit, ſiccumque

terreum ſubtile inſeparabile ſecum una fuſionis compos facit. Proinde haud ſecus ac corruptionum acervi ſtrenuius interimunt, utque perfectionis adminicula ſaluti conferunt, multiplicata radix ſulphurea, fluidum madefaciente, termino circumducens, denuo potens, principiati puri viſcoſi nomine materiam rubore inſigni, pauculoque ſalillo, ſiccis temperatis mancipatam, recenſet, qua, quænam radix argenti vivi, quodnam movens, quodnam elementum formale minerale, quæ perfectio ſat ſuperque elucidatur: Sulphur nimirum metallis commune omnibus unicam radicem, eaque unicum argentum vivum; ejusque radicis motum unicum meditatur; nec diverſis intentionibus diſtractum, quam colligandis humoribus, convertendis quoque operam exhibens, denſatis etiam ad fluorem principii, revocatis corporibus, nunquam commotæ materiæ perpetuo ſimilem conditionem depoſcit. Exigit

igit id ita fieri ordo naturæ converſus, aut reductus, forma eadem potentiam & actum vitæ ferens; quotieſcunque namque virtute principii moventis ex ſinu materiæ forma producitur ab intrinſeco vitam promoveri, compoſitionem cum corpulentis formantium perſpicientibus liquet. Et ſane quamvis generationes univerſæ à materia exordium ſumere dicantur: tamen cum à forma materia dependeat, forma materiæ corpulentiam collectam ultima diſpoſitione alteret, atque ex intimo principii materialis vitam promat, intellectui eandem, utpote ab intelligentia demiſſam primitus occurrere, atque indidem totius rei cognitionem deſumi profitemur. Appelletur igitur materia ob corporalitatem compoſiti, rerum ſubſtantia dummodo formæ ſubſtantiali principatum relinquat; ſiquidem eſſendi principium, potentiæ vitali potius, quam materiæ vivificatæ debitum, ex materiæ potentia formali, virtute

& tempore priore eruitur : Unde, nota forma rerum ſpecifica eſſet vitam materiis materiatisque conciliante, abſcedit inferior inveſtigandi occaſio. Quorumcunque ergo eadem forma ſpecifica, eadem quoque erit materiæ conditio : denominantur enim à formis ſpecificis rerum proprietates ſive converſis ſive potentialiter viventibus materiis : qua ex materiæ corpore derivatum materiatum ea qua materia forma conſtabit : Ideoque quod alterabilis reſolutionis repudio ſolis metallis licet, in materiam reductum materiatum non alienæ ſed propriæ ſulphureæ radicis vita vivet : & radix ſulphuris commiſcibilis ſolummodo unica, unico humido puro irrigata, argentum vivum ſemper & ubique ſui ſimile nullibi diverſum, viſcoſitati motuique calcinanti unicum præbet principium, formæquæ unicæ ſulphureæ diverſas diſpoſitiones affingi abominatur. Idcirco etiam adulterina argenti vivi adulteratio formarum

rum

rum vires non invertit: Nec enim novimus alterationem veram præterquam radicitus motis propriam, qua argentum vivum in aurum transferri, ſi non aliud, ipſiſſima illius denſitas, ſubtilitas, color cum manifeſto occultus, doceret: Etenim peculiare quoddam argentum vivum, nobiliorum corporum generationi naturam effundere ignorantia fundamentorum magicorum circumforanei miſelli, ex profundo materiæ perfectionem ſopitam elici immemores ajunt: Nec principii moventis egere, nec elementorum corporalitate plane preſſum torpere, ſed vigere in aurum convertibilem Mercurium. Verum enim vero cum naturam ars imitetur, omniſque generationum gradus naturæ ſeparatio formarum magica arti demandetur, fateamur tamen ſimili tenore & forma magice enucleata argentum vivum in aurum traduci, quo natura, ſuis inſudat operibus: Et quia converſio materiarum op-

pido naturalis conventu formarum cum materiis conſit, artis atque naturæ finem motu forma & materia eodem reincidere: ut inde colligamus non magis naturam quam artem [quod inſulſi iſti argento vivo in aurum commovendo, ſeu ex auro reducto vim tingentem tribuentes, tincturæ proprietatum ignari, tanquam lætiore ſomnio beati perſpiciunt oculatius] ſemoto principio movente operari. Amplius etiam coeunt radice & ſuperficie æqualia: inæqualia commiſta levi artificio dirimuntur: ſed argentum vivum ſeu auri aliorumve corporum vulgo venale confuſum dimittere renuit. Quid ita? niſi quod forma eadem inviolabilem amicitiam iisdem materiis infundit, quam amico quoque argenti vivi cum auro congreſſu apparere negare, à vero longiſſime fuerit abſonum: Immo hercule pro ut argentum vivum, aurum, lapis Philoſophorum cruda facile amplectitur: Sic hujus illiusve cum ar-

gento

gento vivo & auri & lapidis Philoſophici & radicis ſulphureæ puritatum adminiculo ad id faſtigii provecto, illorumque ex hoc venemur convenientiam. Non remoratur aſſertionis hujus veritatem, ſi quis qua movetur in generatione radix auri pura, tincturam auro in argentum vivum reducto immiſceri contendet. Etenim nec id inficiamur: ſed converſis reductis non ut movens, ſed ut movendum includi: quippe ſi actu polleret, in proprium materiæ terminum haud quaquam rediret, reditum depoſito actu fluore demum oſtendente. Nullatenus autem mirandum humido ſuperfluo moventem radicem calcinatorum reductione obrui, cum ea ipſa plane eadem aut ſuperans, aut ſuperata radicalibus movendis motisve uniatur: Itaque aurum ad principium minerale fluidum ſpirituale rediens, ſicco ſulphureo movente humidi materialis viſceribus inſerto, nulla prærogativa vulgare, reliquorumve metallo-

rum argentum vivum vincit. Quid vero ſi audiemus toto auri corpore in argentum vivum promoto, cui nam principium movendo tingens relinquatur? Quid ſi his regeremus qualitate, non quantitate formas moventes æſtimari? Et tamen ſi quantum quali conjunctum evincatur, eo quo radicem argenti vivi exertam præcidere: fatuos corporis calcinati, ad inviolatum principium, ſine ponderis diminutione, regreſſum moliri: fatuos ſicca humidis vivificatione cedere ignorare, opinione hos experientia nulla confirmari. Poſſe id monſtri facilime elidi, conſiderando, nequire materiam præterquam ex ſui profundo alterari: omne argentum vivum, corporum imperfectorum crudumve motu principii radicalis in aurum defluere: At aurum unicam ſolummodo præſupponit materiam, eaque formam unicam: Quapropter cum argentum vivum commune juxta imperfecta corpora in aurum converti

verti queat: converſio ex formá promanet: forma detur ab extrinſeco: argentum vivum quodcunque radice pura inſigne auro materiam ſubjicere manifeſtatur: qua forma argenti vivi crudi, crudorumque corporum auri formæ æqualis, diverſitatem argenti vivi ex auro provocati, argentique vivi vulgaris, corporumque tollens, converſis reductis, cunctam abolet eminentiam. Quis furor itaque auro aut lapidi Philoſophorum diverſam à Mercurio vulgari materiam affingere, cum utriusque eadem forma, eadem eidem metæ inhians ultimo alterabili termino circumſcribi acquieſcat. Sed irrepſit iſta perſuaſio principii moventis ignorantia falſoque perfectæ converſioni credita ſufficere argenti vivi otioſa ſubſtantia: dum tenacius auri materiæ vel extranei admiſceri debere arguentes, motum torpenti ſubjecto ineſſe volunt, quamvis motum ciens principium, non alienam, non diverſam, at plane

genuinam movendæ radicis gerat, imaginem: Igitur etſi ſolo ſe ſtare, Mercurius videatur, advenit tamen idem cum movendo radicale movens extrinſecus, ſuo cum argento vivo coitu mineras ubere metallorum proventu fæcundans. Scilicet humido effuſiore partim tollendo, partim radicum penetralibus occulendo, ſiccantium ſulphurum officium requiritur: Id vero ſolubile, commiſtibile aut crudum terrei calcinati portioni miſtum diverſimode argentum vivum ſibi aſſociabit, unde diſtincta perfectorum ab imperfectis emergit generatio: Quoties enim vaporoſum Mercuriale, minerale cavernis montium aberrans, ſulphur radicale calcinatum, apprehendit, ſolutione commiſcet, id ſibi, & calcinatione per minima, commiſcetur qua fit motam radicitus materiam decoquendo in ſe, ipſam reſidere, atque ex ſeſe provocato colore fixione & pondere ultima propriæ formæ alteratione compleri,

pleri, & cum præter radicem ſubtilem ſulphuream commiſcibile nullum arti, aut naturæ occurrat, reliquæ ſulphuris ſpecies, utrisque extremis vitioſe argentum vivum abſorbentes, diverſitate proprietatum ſiccantium infide miſtum examinibus dimittent: Ita ergo argentum vivum ſulphuris crudi purive ſalſi impurive laborantis potitum, ſui vomicam perfectum aut imperfectum corpus progignit. Denique conjunctione vaporoſi Mercurialis, cum coagulante ſolido admonemur, cunctorum productorum animatorumque ſemen ex vapore in ſolidum contrahi: ſemine patiente, aut frigido repercuſſo, aut quovis accidente improprio alio corporalitatem aſſumente, generandi & concipiendi facultatem deferbuiſſe. Sic animalibus fæmellis coagulando ſemini natura locum demſit; Et novimus, fæmello per ſe coagulato ſemine, haud infrequenter morbus aliudve quod exorbitans provenire:

ſper-

ſpermate conveno legitime progredi, quin & vegetabilium ſemina, pota aqua expoſita aeri calcinante, movente proprio calore ſuſcepto, vaporem ex ſe reſolutum craſſiorem eodem ſulphureo vegetante compeſcunt, quaque biberunt humidum, parte, germen, ſimili proceſſu terreno humore macerata grana fiſſo ſolo vireſcere innuentia, protrudunt. Atque hermaphrodita hæc, animatorum quieſcentiumque intermedia, non abs re maſculinum fæminino jungunt, quod reliqua ipſiſſimo conceptionis puncto miſtione poſſunt jungi. Non igitur mineralia Androgina contendentibus eſſe ſubſcribimus: quod etiamſi ſulphur argenti vivi ejusdem humiditati copuletur, maſculum tamen ſiccum non neceſſitate motus ſed materiæ liquido adhæreat, ſiquidem vita potentialis ſinu materiarum ſepulta orbum corporale elementum alias relinquens, nil quicquam materia nomen mereri permitteret, quam ma-

teriæ

teriæ moventis ſimilem radicem : Principium movens iisdem commovendo loculis mancipatum hermophroditis: argenti vivi mineralis ſulphurisque moventis loco diſtantium conjunctionem mineræ nuncupamus; ſulphur quidem aere cavernoſo natum ſuperiora aeris pugnantis ſurſumque tendentis natura occupans motui efficitur commodum. Et argentum vivum abyſſo ſacrum, centri genitoris haud immemor profundioribus ſedens ſedibus, calido exciri pronum reſolutum vaporoſumque ſulphuri appropinquans iniquo movente monſtruoſum, propitio generoſum fætum elargitur.

Excitatur vero vapor mercurialis calore calcinante, minerali, & calcinato irriguo quo altero compoſitio principii mineralis, altero ſulphur purum conſit, natura abſoluta crudi decoctione radici commiſcibili læta, ulteriorem tandem progreſſum cupient.

Ergo

Ergo per meatus terræ aqueus humor fluens offenſo ſulphuri calcinato ſalſo miſcetur; eademque miſtione [quæ conſuetudo calcinatorum] haud ſecus ac calx viva aqua perfuſa calorem movet, quo ſimul minerali calore adjuvante, in vaporem abit; ſecumque ſubtile ſalſum reſolutum madidiore aliquanto imbre ſimul ſcandente, ſulphura irrigans, trahit, moventiumque demum virtute locisve apertioribus perpetuo mineræ calore deficiente; disconveniens ſuperfluum refutat: Ultimo ſulphuribus radicalibus; extremisve ſolis miſtisve obnoxius ad corporalitatem declinat, evitato ſulphurum imperio in argentum vivum vulgare decurrit. Hanc denique cauſam arbitremini cur vitriolum invenientes foſſores ſpeciem lucri aurei ponant, quod ſubtili ſulphureo vacuum ſalem ſulphuris calcinati nacti radicem mercurialem jam inde evolaſſe experiuntur. Licet alia regione profundiore ſilice inter-

interclufis diſtantiis ſpem ali poſſe, non inficiemur. Vitrioli autem ſulphur auri ſulphuri proxmium, radicem argento vivo præbere, inde aſſerimus, quod in metallis ſulphurum calcinatorum ſpecies tres, non ultra deprehenditur: At harum ſolubiliores ſubtilius purgatiusque principium innuunt: Etenim ſubtiliatur res omnis calcinatione: quo defæcatius ergo calcinandum crudum, tanto impenſius ſubtiliſſimum calcinatum, tantoque commiſcibilius: Ita ſulphur auri, argenti vivi & lapidis Philoſophorum primas, veneris ſecundas, Martis ultimas partes trahit: Ita ſalſum radicale, ſulphureum illis, his vitriolum, & alumen devovemus: Ita dempta ſubtilitate calcinato ſulphuri chalchanthum demptaque huic radice ſalſiore colchotar provocamus. Sed vitriolum ſublato tandem ſubtiliore radicali emergere experimenta atteſtantur: cuprum in vitriolum reducturi, ſulphure fugitivo citrino id

calcinant ſæpius, acri flamma ſingulis vicibus, una cum ſubtilitate argenti vivi venerei, fugitivum amovent, poſt quæ tres, quatuorve combuſtiones ſubſtantiam calcinationibus, ſuperſtitem in vitriolum nativum commutant: Sic vomica ſulphuris crudi, primo ſulphur fugitivum; Deinde vitriolum ejusque reliquiis denuo combuſtis alumen rochæ fundit, docens vitrioli feces ferro, ſalſi ſulphuris puri reſidentiam cupro convenire, quodque fert vitriolum nomen, eo jure fortaſſis ferre, quod egens puro radicali mercuriali vitri potius, radicali humore carentis, quam metalli fuſibilis, atque extenſibilis naturam æmulatur.

Denique poſtquam ex ſubtiliſſimis calcinatis radix argenti vivi petitur: ſubtiliſſima autem radix extremitatibus circumdetur ſubtilioribus eæque veneri atque inde vitriolo debeantur, Sulphur calcinatum argenti vivi radice fætum, dimiſſo

falſo

ſalſo puriſſimo, in ipſa Mercurii vaporoſi generatione ad vitriolum converti: hinc cuprum auro potentia multum approximare aſſeveramus. Sufficiant hæc unico principio radicali perficiente, ab aliis calcinatis ſulphureis probe diſcernendo: Id nunc advertendum extremitates quascunque perfectioni officientes principii moventis puri adventu removeri.

Cedit nimirum propriæ formæ adventitia, tactumque argentum vivum radicitus duabus formis obedire impotens, radicali promptius, exuit adulterinorum ſulphurum compedes. Quotiescunque igitur, & ubicunque forma Mercurii primæva metallis imperfectis miſcendo applicatur, reducitur ſimul corpus in primam materiam non quidem in elementa ſimplicia, ſed miſta, viſcoſitati metallicæ apta, ſiquidem & juxta naturam, ars in elementis compoſitis motum orditur, unde reductio in primam materiam ad argenti vivi cruditatem fieri intelligitur.

 Am-

Amplius quidem forma ſpecifica congregat homogenea, heterogenea rejicit. Sic argentum vivum ab extraneis, forma radicali, colligendo movente, diviſum, in aurum tranſit: ſordes ſulphureæ in ſcoriam collabuntur: Exinde ſeparationi inſerviens fuſionum diverſitas dicenda prolixius, in metallorum fuſores recte conſulerentur. Eſt tamen generalis harum definitio activa paſſiva ſequi, ſulphure crudiore correpta fuſce fluere & igniri craſſiori terreo devota ignita albeſcere, expreſſione ignis fundi: ſubtili ſulphure mota perfecta utrumque extremum abhorrere.

Cæterum denegat naturæ alterationum commutationem progreſſus generationum ſimplex, effectu inſtrumentorum loco moventium primis occupantibus nil extorquens, at totum id, ſeu adminiſtrationis, ſeu artificii induſtriæ intellectus commendans: Et vero haud fruſtra ſudaturos certiores reddit ſub-

tiliſſi-

tiliſſimum formale ſubtiliſſimis materialibus æternum junctum, materialibus corpulentia quadam movens formale, formale inter formas univerſi totius unicum corporeum, tangibile, ſeparabile ditantibus: quo fonte manat univerſa laudatiſſimæ chymiæ vix ulli majorum, affatim perſpecta poſſibilitas.

Progredientes igitur in naturæ artis imitatricis agona; naturæ omnium primo & concinnanda materia materiæque movendæ neceſſarium principium movens; flagitamur futuri ea fortuna, quam ſapienter operando; aut errando deformiter, nobismetipſis conciliaverimus. Non tamen ſi errore plerique aguntur; & nos quoque deliremus. Nimis multo conducit ignotum verum polite compto multorum errori prætuliſſe. Viri eſt perſuaſiones fugiſſe, & ſapientia prima infallibilibus documentis inſtituiſſe, commode ubi res aliter regi vult, divertiſſe. Scilicet artificio deditis, non

ſegnius quam naturæ extrema corrumpentia occurſabunt: Et ſane ſtat ars principii moventis puri fundamine, ſulphureum calcinans intenſiſſimum ferente. Atque minus experti coloribus confiſi ruditatem ſuam declarant: Nec enim univerſum rubeum albumve puri laude donari promeretur, cum in omni artificio ſecciosius aut fallacius nil imponat exiſtentiam apparentia penſantibus. Nempe ſulphur radicale auri radix ſulphuris fugitivi & argenti vivi radix pura ſagaciter tractata, variari ignara, intenſiſſimo colore quovis liquore diluta reſplendet: Sulphur vero crudum corroſivis ſalſis ob unctuoſitatem ægre ſolutum, citrineſcit, oleageneis maceratis rubicundiſſime liqueſcit, craſſioribus videlicet cognatioribusque ſolutum largius diſtendentibus: plane eodem tenore colore antimonii aceto aut acredine vini extracto, ſale tartari promoto colori concedente: Ut ita puritatem coloribus dimetientes

entes non minus inſaniant, arſenicum ſublimatum tranſparens argento vivo præferentibus. Itaque artificialia color quidem eminentiſſimus, ſed à puritate petitus concomitatur: Color namque comes eſt ſulphuris, & eſt Philoſophorum lapis, ſulphur minerale, radicale, alterans alterantium inſigniis neceſſario decorum. Quapropter cum omni argento vivo atque omni ſulphure Philoſophorum ſulphur abſconditur, ex omni ſulphure & argento vivo omni, exque omnibus his compoſitis, Philoſophorum medicinam deſumere licebit: unde metalla univerſa deinde mineralia ſulphure & argento vivo arte artificialia opera in ſe admittunt: At horum defæcatiora facilius præparantur, corrupta ægrius: Equidem quid perfectioni quid imperfectioni conducat, abunde diſſeruimus: quicunque igitur congerie corrumpentium gravantur, purgationem admodum remorantur purioribus artifici obſequentioribus.

Porro habetur radix pura calcinatorum beneficio, ideoque crudiora ad fixionem vocanda calcinata purganda diverſo temporis ſpacio votum explent: Et obuenit calcinatis quoque, deleri difficillima terræ feculentæ radici præparandæ tenacius adherens grandis ſubſtantia. Adminiſtratur denique purgationis ſeries calcinando, diſtillando, ſolvendo, coagulando, figendo, ſublimando notis vulgo operibus. Sed crudiora calcinatione & ſolutione: fixiora, ſublimatione & diſtillatione, plerumque eluuntur, ita dura cum ignitione, fuſibilia imperfecta corpora adhibitis ſulphureis, adq; arſenicalibus, Mercurialibusue ut thutia cupro amica, ſpiritibus mineralium, marchaſita & thutia per ſe elevantur: domantur fluxiora precipitationibus. Sed fuſibiliora tractatione faciliore dura, hæc mollia citæ preparationis admiſſione, [niſi quod in quibuſdam terræ prorofæ vis magna perfectionis complementum longius differt] præcel-

precellunt. Hinc ferrum livore craſſum fædiſſimum, deinde plumbum eruſque compar antimonium ſecundas Jovi, veneri primas relinquunt. Poterit exinde quivis vel mediocriter doctus reliquorum mineralium conditionem præparationemque meditari: quicquid enim ſit nil agimus quam ut ab extremis corrumpentibus ſulphur & argentum vivum vindicemus; Et quia propter formam ſulphuream argentum vivum diſſecamus: cujuscunque ſulphuris forma pura arte ſe parata, radicis mercurialis, lapidiſque Philoſophorum vicem poſſidebit; Hinc corporum perfectorum eſſentiæ admiculum ſaltem radicale, & partem operis, at cumulata omnia principia cruda miniſtrant.

Nam cum in generatione metalli natura argento vivo utatur ejuſque formam torpentem principio movente, ſuſcitet, utetur eodem & ars, apprime formas inquinamentis eximens, ſiquidem ex ſinu mate-

riæ forma educitur: ut arti principium movens ſolummodo ob id aliunde petamus, quo materiam convertamus tanto felicius, ideoque perfecta corpora tanquam principia calcinata, & principiata ſpiritualitatem penetrantem arti perquam neceſſariam deponentia, & quod natura alterationibus non principiata, ſed principia ſubjicit, naturam ars imitetur, niſi forte in argentum vivum currens, revocetur, non magis arti, quam naturæ materiam exhibere æſtimamus. Id recentem ſuggerere memoriam crediderim, ſalſedinem radicis perfectæ, non ſeperatum quoddam ſalſum, ſed ſulphuris puri calcinati eſſe proprietatem inſeperabilem: quo ſimul evincimus, nequiri corporum perfectorum analyſi merum ſalſum proferri quin aut in argentum vivum currens, aut radicem puram moventem pellici: Radicem ſalium terrei albi deficientia nil quicquam morari.

Pro-

Proinde aurum operibus chymicis adhibituri ad terminum currentem vocatum legitime moveamus, aut movendo argento vivo conforme reddamus, detractis calcinatione naturali acquiſitis fecibus; licet enim argentum vivum prima compoſitione nequaquam inquinetur, calcinatum tamen humidi ſubtilioris, receſſu inficitur perdito quo gloriabatur crudum ſpirituali imperio. Itaque cum lapis Philoſophorum naturam ſpiritus, ſpiritusque ſubſtantiam flagitet; argentum vivum vero calcinatum ſeu aurum à ſpiritualitate declinet, ſolaque natura Spiritus compoſitionem noverit: ſolum inviolatum argentum vivum crudum, integri humidi conſervatione, in ſalem fixum coloratum, ſulphureum, penetrantem, calcinantem & moventem, decoquendum arti materiam præbebit. Tantum nimirum abhorret à fæculento ars, ut turbato ſemel ſpiritus ordine ſpe cadat: & turbatur argentum vivum converſione par-

tium crudorum, tunc ex ſuperficie argenti vivi demigrante humido aut quocunque imminuto, perit natura ſpiritus: Et tamen is ipſe ſpiritus motus, tandem vigilat ſive ad perfectorum corporalitatem inclinet animus, ſed motus omnis [ſulphure nimirum excitante] calcinat: calcinatione exuberans abigitur humidum, ſpiritualitati unicæ unicum ſubſidium: ut grandi induſtria detento univerſo humido, & moveatur, & calcinetur, & figatur, coloreturque; tandem ſale fixo ſulphureo tingende argentum vivum nobilitetur. Faceſſant igitur varios colores lapidis Philoſophorum decoctioni affingentes, nigrum, album, rubeum, oscinum, corvi caput, caudam pavonis, Argi miſerias quæcunque his ſimilia deliria, quippe nigredo ſulphure currupto adducitur: & argento vivo ſemper lautiſſimo cum nigrore nullum commercium nec ingrediuntur lapidis Philoſophici compoſitionem præter in-

intenſisſime purgatiſſima: Ideoque aliud quid quærat, nigredo cui nugas farciat. Quin albedinem quoque in ruborem dealbare ajunt, uno vaſe fornace unica, ſed ſuperans humido albedo calcinatione formæ radicalis aut flamma corrigitur: Hoc clauſis locis, illo materiæ ſe ipſam movendæ in potentia impoſſibili: Poſtremo tingitur argentum vivum tinctura ultima ſolo ſulphure puro: Eo neglecto movente principio ſibi ipſi ſufficere præſumens, albedine exutum propere incineratur, principio movendo minerali, poſtmodum non temere utile: fixum albumque radice irrigua ſtabile, alio quam ſulphure ſubtiliore calcinante rubeſcere recuſat: Ut inde imaginationem judicio horum (ſi Diis placet) Philoſophorum imperare, vulgatiſſimo errore hoc credere invitemur. At arcet nos hoc devio, artificialium operum ambitu naturalia recenſentes, tum practica tum theorica, qua arti qua naturæ devota mi-

neralium abſoluta cognitio illa quidem non opinione ſtat, ſed demonſtrationibus, definitis ſignis ad calcem operis conſpicuis.

Sed ad compoſitionem lapidis Philoſophorum quod attinet, ſemper is & ubique, ſui ſimilis una eademque purorum apparentia terminatur: in inquiſitione tamen principii moventis obvenit diverſitas: Etenim quemadmodum natura ob movendam convertendamque materiam principio movente indiget, ideoque ſeparatim alterum ab altero gignit: ſic ars quoque materiæ in medicinam Philoſophorum commutandæ legitimum movens venatur: Hinc præparationum varietate motus varietas: Nam finalis motus radicalis ſoli quidem radici pure ſulphereæ rubicundiſſimæ debetur: & nihilominus defectu purgationis ſeu decoctionis ultimæ, alba imperfectius movens radix provenit: Ita natura argentum perfectis annumerat, quamvis terminum

num abſolute purum haud quaquam contingens. Deficit ergo à perfe-ctione argentum moventis nobilitate, ſiquidem puriſſimum movens, exerit radicem argenti vivi rubeam, alterationum imperium poſtmodum defugientem: Idcirco cum argentum albedine præſtet, illius movens moti conditione definiamus. Adducitur autem albedo humidi ſubſiſtentia non certe oleaginei inflammabilis vigore igneo proximioris at aquei à combuſtione defendentis: Ita ſane, ſulphur argento vivo in argentum movendo naturaliter præparatum, non plane calcinatione ſiccatum, debilius movet: plane namque ſicca eſſe oportet, ignisque & colori & puritati ſalſæ contigua radicitus & ultimo alterantia: At ubi copulatur humidum ſulphuri arſenicalis eſſentia prodit: Et vocemus arſenicum non ſolum compar ſulphuris vulgare, ſed omne humido irriguo præpeditum, movens ea ratione, quod arſenicum his componi pondere, co-
lore

lore tinctura albedinis fugitiva odore & inflammatione remiſſa comperimus: Quæ tamen decoctionibus naturalibus ſubtilioribusque principii decoquendi partibus immenſe repreſſo, abſoluto digeſtionis tenore à perfectis haud multum removentur: Unde propter talem radicis argentum moventis & crudæ & alteratæ ſubtilitatem poroſitate enormi, atque enormi unctuoſitate inflammabile vacuam, ſuo incedere ordine argentum permittimus; At non ut auro perfecte moto æquetur, aut abſolutam puritatem arrogare id ſibi patiamur: quin potius aliquali diminutioni per examina mancipatum & aliquoties ſulphure vivo calcinatum expoſitumque flammæ fætore arſenicali intolerabile, ſimili radici ſubjacere, arbitremur. Poteſt ergo quod naturæ arti quoque accidere, & decoctionum differentia producta differentia procurari, ſic ſubitus ignis diſſipat, remiſſus radicis inquiſitioni habetur aptior: Sic illo argentum vi-

vivum & quivis ſpiritus turbatur, hoc radicis ſolubilitati ferimus ſuppetias; & certe radix rubea ſulphurea ex quovis ſpirituum exeri ſatagit; & nequeunt ſulphurea cruda aliter quam radice rubicundiſſima abſolvi: ſolum argentum vivum humidi cum ſicco ſubtili firma colligantia, radicem albam, rubea ſolubiliorem converti per ſe negantem, largitur: Idemque alio modo tractatum intenſiſſime rubeſcit, at radicis enucleationi gravate magis ſubſcribit: Ubi namque continuato vulcano in calcem vertitur, radicale ſalſo madidum, ita multo ſicco ſepit, ut vulgari artificio dividi inficietur: Aggrediendum itaque alia ſalubri via pauciſſimis cognita, reducendumque ad priſtinæ obſequelæ ſtatum radicem arti commodam abunde vomentem, quam ſe omnino non deſeruiſſe vel non præparatum ubere proventu fatetur. Cæterum quamvis nulli liceat laborem, tædium & moram pigritia prævertere,

tere, inventumque ſagaciter præpoſtero opere perdere inceptumve opus deſerere: ſi quæ tamen compendioſiore felicitate nanciſci ſpes affulget, accordatiora in præſentia prehendentes demus operam poſtmodum laxioribus: Neque enim ob divitias ſolum generoſiſſimam ſcientiam amemus, auro ſaturi, reliquorum laborum immemores: quin minutiſſimum mineralium quodque vel inſigni jucunditate vel ad majora manuductione delicata, perveſtigemus, ſiquidem abſolute docti & eſſe & ferri deſideramus. Scilicet abſimilis ſcientia hæc, aliarum quas leviter ſaltem attigiſſe ſufficit, ſcientiarum, quemadmodum ad ſolidam ſui cognitionem, quicquid toti naturæ contemplationis, ſuperis atque inferis doctrinæ poſtulat, Aſtrorum magiæ naturalis mathematicæ totiusque Phyſicæ ſubſidia accerſit: Ita ex ſe medica reſolutorum quieſcentiumque moventiumque vincula promens perquiri infinitum avet:

&

& doctus erit noſtro quidem puncto, qui illa non quæ ſciti fas ignoraverit.

Porro radix dicta laborioſſime elicitur facilior obſequentiorque ſervata ejusdem ſpiritus calcinati humiditate pluſcula: Servatur humiditas humidorum adminiculo, qua cuncta aqua perfuſa non comburuntur ſicca igni concedunt facillime. Vincienda igitur humiditas argenti vivi calcinandi humido minerali alio poſt expletum opus ſeparabili: demum abſolvatur ab aliquibus decoctione acquiſitis, argenti vivi non radice, ſed ad radicem mota ſubſtantia, applicanda more materiæ Philoſophico. Id ſatis liquet, ita præparatam radicem albere, ſolique à perfectione ſumma aliquantum deficienti albori inſervire, ſimilemque argenti mineralis radicem, idem cum radice artificialiter ſeparata argentum parturire, cum & ſecundum naturam moventis moti detur diſpoſitio, nec argentum dici mereatur niſi na-

turali argento planiſſime ſimile: Unde identitas productorum iisdem conſit moventis ejusdem applicationibus: Unde quicquid exorbitat à veritate naturali, cui uni inſervit ars, in artificialium præparatione exitiali ferietur deliquio. Ita radix ſulphurea rubea ſubtiliſſima, idem quod minera aurum, idem quod minera argentum radix humore coercita & alba largitur.

Denique prout argentum beneficio principii moventis rubei, in aurum revocatur, hoc eſt radicaliter movetur, nulla decoctione ignisve violentia aliqua, at ſolo legitimo motu alterabile: ſic radix quoque alba artificio eruta unico ſubtiliore ſulphure irritata, perfectionis ſplendore ultimo decoratur. Fit vero converſio tam radicum albarum quam corporum calcinatione formali ſubtiliante, qua radix ſubtilior radicem calcinandam minus ſubtilem proprietatibus ſuis aſſociabit. Itaque poſtquam radicum inquirendarum

ſub-

ſubtilitas abſoluta humido mercuriali reſiduo impeditur ſubtiliſſimum movens iſtius humidi ablatione, ſoliusque ſalſi radicalis ſulphurei arbitrio recenſemus. At ſubſunt ſubtiliſſimis ad ſubtiliſſimi elementi ignei virtutem calcinantem, ſiccantem, colorantem, redacta, nullis his ſulphure, ſulphurisque præcipitata radice vinctaque elementorum materialium puriſſimis fæcundioribus. Deſumatur itaque radix Philoſophis, Chemicis, adeo neceſſaria ex ſulphure: nec tamen ad ſulphur commune adſtringimur, quin ex quocunque ſulphure, dummodo ab inquinamentis univerſis facili difficilive, artificio & labore ſeparato, procedens radix artifici obſecundabit.

Hinc unde artificialis naturalisque perfectionis incrementa, ſulphuris quoque motum, natura duce contemplemur: Scilicet hoc cardine, quo nihil majus, meliusque terris Deus & natura dederunt, immota

quies vertitur : hic ſanitatis univerſæ, converſionis purgatiſſimæ vomica, hinc magiæ cæleſtis effigies, hic mineralis doctrinæ terminus, hic Philoſophorum lapis laudatiſſimus, hic mirabilibus ſuperiorum operationibus vicina baſis: hinc vinctum matrice commoda elementum purgatiſſimum, hic perfectiſſimæ formæ corporeæ fons & ſcaturigo. Ut igitur radicem hanc unicam ſplendentem, perficientem, & tingentem extremitatem mole liberemus, utque hoc unicum Chymiæ ſubſidium ſolerti ſcientia & labore nanciſcamur, revocemus in memoriam motu ad converſionem radicibus neceſſariam provocati, eoque aliter atque aliter ad grata quietis optatæ ſubſidia anhelante, è materiæ debitæ occulto ſinu, formam Naturæ & Arti conſonam ſuſcitemus, ſubtilitatemque iſtius deſiderati ſulphuris fixi, ſive ſtabilitate confirmata albicantis, ſive compendioſo Artis Naturam imitantis fine

ab-

abſoluto rubeſcentis conſecuti, eodem non tam ad explendas noſtrarum voluptatum cupiditates, vel ad inanem popularis auræ captationem, deteſtandamque opum & honorum hujus Orbis ambitionem, quam ad laudem & gloriam ſummo rerum Opifici pro tam immenſo Naturæ Arcano perpetuo decantandam, proximique noſtri, vel graviſſimo paupertatis jugo preſſi, aut afflictisſima ægritudinum mole collapſi, ſolamen & levamen utamur.

MINERALIS
ſeu
PHYSICI METALLORUM LAPIDIS,

Diligens & accurata Deſcriptio,

Ad Macro- & Microcoſmi Philoſophicam Metamorphoſin.

INter cæteras Artes, quibus humana Ingenia ſedulo incumbunt, palmam facile obtinet Alchymia.

Non enim corpori humano ſolum utiliſſima eſt, verum unica & ſola per quam juxta corporis ſanitatem paupertati occurri poteſt. Cum vero quamplurimi falſa cæcaque opinione ducti Alchymiam non eſſe veram Artem ſtatuant, ego vero de enucleanda ejus certitudine aliquid ſtudii inſumendum mihi duxerim: operæ pretium me facturum arbitratus ſum, ſi prius aliorum Artem negantium errorem delineavero. Hac ſpe fretus, dubium non fore, quin cognito errore veritatem omnes ſint amplexaturi. Sunt autem duo potiſſimum Argumenta quibus falſam ſuam Opinionem palliare conantur. Primò: Species Metallorum transmutari non poſſe. Secundo: Quia vident omnes laborantes in hac arte non niſi Sophiſticas facere transmutationes, neminem veras. Ideo vere & perfecte à nullo fieri poſſe. Sed neutrum horum fundamentorum erga Artem hanc pretioſisſimam & excellentisſimam

eſt

eſt verum. Non valet etenim primum Adverſariorum Argumentum: quoniam verum eſt, quod ſpecies rerum non transmutentur, ſed individua quarundam ſpecierum ad invicem transmutari poſſunt. Et patet hoc ad oculum, præſertim in his quæ habent ſymbolum ad invicem in una aut in duabus qualitatibus, ut conſtat in Elementis: & ſic ex Terra fit lapis, & ex ligno cinis, & ex cinere & lapidibus vitrum &c.

Sic quoque accidit in metallis, quoniam omnia metalla communicant in una materia, quæ eſt Argentum vivum cum ſuo Sulphure. Et ſolum differunt per majorem & minorem digeſtionem, quæ perficit Sulphuris ſui maturationem, mediante decoctione. Eſt enim Sulphur forma metallorum, præſertim Auri: non quidem Sulphur vulgi, ſed alteratum. Ex his dictis colligitur, quod ſi per Artem poteſt fieri Medicina, quæ habeat in ſe virtutem & proprietatem prædicti Sulphuris mineralis

alterati, talis medicina ab Arte facta, poterit metalla imperfecta & argentum vivum ad perfectorum naturam transformare. Propterea Philoſophi concedunt eſſe verum, quod metalla transmutari non poſſint, quocunque modo vel ingenio, niſi prius redigantur ad ſuam primam materiam: Prima autem materia metallorum eſt Argentum vivum & Sulphur, non quidem immatura ſed alterata, id eſt converſa in vaporem. Prima enim materia metallorum eſt vapor humidus unctuoſus, utriusque naturam, ſcilicet Sulphuris & Argenti vivi, in ſe continens. Ex his ergo neceſſario ſequitur, quod ſi per Artem poteſt extrahi ejusmodi vapor unctuoſus ex his rebus in quibus eſt, reperiatur conſimilis illi qui in mineris generat metalla, & ex eo poſſit confici medicina quæ ſimplicia corpora imperfecta & argentum vivum perducat in verum & perfectum corpus metallicum, perfectius omni naturali. Sed ſciendum eſt,

quod

quod hæc Medicina ex quibusdam facilius & utilius, ex aliis vero difficilius & imperfectius extrahitur. Ipſa enim metalla ſive aliæ quælibet res ex hoc fieri non poſſunt, niſi prius per putrefactionem corrumpantur, & per debitam decoctionem ac longam digeſtionem aliam nobiliorem formam acquirant. Secundum quoque fundamentum quo argumentantur contra, non conſiſtit, quia à ſimili & à majori ad minus ſuam corroborant phantaſiam & errorem, in quibus non continetur neceſſitas ſed tantum contingenter, ut in pluribus. Amplius certum eſt noſtris temporibus quod pauciſſimi reperiantur Philoſophi, qui ſecreta naturæ cognoſcunt, imo illa quærere & cognoſcere negligunt, & ideo debitis operationibus res imperfectas meliorare & perficere neſciunt, & plerumque ignorant apta ab ineptis, propinqua à remotis diſcernere, & propter hoc multi deviant & deſipiunt.

Veteres autem Philoſophi altioris erant Ingenii, & in quærendo ſtudioſiores. Nam propter cognoſcenda profunda ſecreta Naturæ, auſi ſunt aliquoties antra ſubire, & in Sylvis ac montibus commorari, ut ſolerti ingenio ſecreta naturæ viderent, quas vires habeant, & quæ loca terræ ſint apta metallis, quæ materiæ, & quod diſcrimen in illis. Et ideo ad ipſorum utilitatem & ſuorum filiorum hoc divinum magiſterium per ipſorum longam inveſtigationem inventum fuit, quia ſoli Philoſophi & eorum filii intelligunt vim Naturæ, & ejus diſpoſitionem non ignorant. Cum ergo multi & magni Philoſophi aſſerant, hanc Artem transmutatoriam poſſe fieri, ac plures libros in ſcriptis poſt ſe reliquerunt, iniquum eſt & ſtultum negare ipſam eſſe veram, etiamſi noſtra ratio & Experientia id non aſſerat & comprobet.

Nam multa diſtantia eſt inter Sapientem & inſipientem, inter cæ-

cum

cum & videntem, & idem eſt inter male operantem & ſcientem. Conceditur ergo ex his Artem eſſe veram. Sunt vero qui credunt firmiter hanc Artem nobiliſſimam veram eſſe, ſed utra ſit experiendo non attentaverunt, nec probare ſciunt. Credit quidam eorum qualitercunque debilis, & probabiliter Veritati conſentit & adhæret, aut multitudine dictorum aut magnitudine Authorum, ſed convictus pugnæ cedit. Eſt autem una res quæ omnes ad credendum facile trahit, ſcilicet habendi cupiditas & voluptatum aviditas. Sola enim Voluptas cupidos maxime facit. Nam homines terreni delitiis dediti, ante omnia terrenas delitias optant, & ad eas comparandas nihil operis aut laboris prætermittunt. Quia ergo homines univerſi quærunt delitias, & ut quantum poſſunt bene beateque vivere valeant, & omnes fere hujus mundi delitiæ maxime per divitias haberi poſſunt, juxta illud commune Adagium:

gium: Pecuniæ obediunt omnia, & ad hoc modus inventus eſt, qui ſit quaſi fidejuſſor habendi quodcunque homo voluerit, maximæ autem divitiæ per hoc Artis magiſterium pollicentur, ut poſſit verum Aurum & verum Argentum & utrumque multum ſine magno labore acquiri, & quibus mineris figantur, per quæ omnia habeantur: Idcirco homines ſcientes & neſcientes facile credunt, & probando acquirere ſtudent. Tamen pauci ſunt, qui laborando Artis veritatem attingant, cujus rei antea præcipua expoſita eſt cauſa, ſcilicet Secretorum ignorantia & ſtudendi negligentia.

Eſt quoque hujus ſpecialis ratio duplex: Primo Metaphoricæ locutiones Philoſophorum. Conſideraverunt libros affirmantium Artem, & invenerunt eos uſos rationibus & ratiocinationibus, quæ ſunt apud omnem Artem. Et repererunt, quod in iis plurimum contineatur Metaphorarum ſeu ſimilitudinum, ſed

ſed cum ſe contulerunt ad principia naturalia, tunc cognoverunt Artem veram eſſe. Secundum eſt, Falſorum cum veris commixtio: Unde Philoſophi duplicem modum in eorum libris poſuerunt, unum verum, alium falſum. Verum autem per verba obſcura, ut non niſi à filiis doctrinæ poſſint intelligi, ne impiis ſcilicet via agendi profana daretur. Falſum vero ſub verbis intelligentibus poſuerunt. Quem dum communiter ſequuntur operantes in Mercurio Sulphure, Arſenico, & etiam in ipſis Corporibus nihil inveniunt. Sunt igitur plurimi qui in hac Arte laborant in vanum, quia nec proprio ingenio poſſunt invenire opportuna, nec ex aliorum Sententiis verum intelligere & extrahere queunt. Aut enim peccant in debita materia, aut in convenienti operatione. Quare conſulendum eſt talibus, ut aut ab operando manus ſuas ſuſpendant, aut libros diligentius legant, & lecta plenius intelli-

gere

gere ſtudeant. Nam Philoſophi non ſcripſerunt libros ſuos niſi filiis eorum, & filii eorum vocantur qui perfecte intelligunt dicta eorum, & non ſecundum literam. Nam operatio ſecundum literam eſt diſſipatio impenſarum & temporis perditio. Finis hujus Artis eſt producere Medicinam quæ omnia metalla imperfecta & argentum vivum convertat in verum Aurum & argentum, ita bonum in omnibus ſuis proprietatibus, ſicut eſt illud quod Natura produxit. Aurum enim eſt finis ultimus Naturæ & Artis in generatione metallorum. Elixir vero eſt finis propinquiſſimus ad Aurum, quia eſt in potentia propinquiſſima Aurum. Eſt enim forma auri convertens omnia metalla in Aurum. Talis autem Medicina oportet ut ſit perfectiſſima, ſicut etiam forma Auri eſt perfectiſſima inter omnes formas metallorum quæ eſt ultima forma, ad quam tendit natura & terminus, ultra quem natura tranſire non po-

poteſt in metallis: In auro quies eſt. Perfectiſſima autem erit, ſi non ſolum corpora imperfecta transmutat de una forma ad aliam optimam, reducendo ipſa in materiam ſuam primam, ſed etiam ipſum Argentum vivum ſubito ante illius fugam coagulat & in Igne conſervat, & convertit illud in momento in ſolificum verum. Unde eadem Medicina quæ perficit metalla imperfecta, etiam coagulat & perficit Argentum vivum in ſolem & lunam, quia ſolum eſt una Medicina quæ totum hoc perficit. Unde niſi Medicina ſit talis quæ corpus liquefactum in momento denudet à forma prima ſub qua erat & removeat omnes imperfectiones, & ſimiliter reducat ad ultimam ſimplicitatem materiæ primæ, & in eodem momento aliam novam formam ſcilicet Auri introducat, nondum erit perfecta qualem Ars quærit: Similiter ſi argento vivo injecta ſubito non coaguletur, ſed cum illa forma ſua evolaret, & fugeret

geret cum eo ſimul. Ex qua re colligitur, quod corporum præeminentia metallica, ſcilicet ſulphur & Argentum vivum non permanent ſub illa forma ſub qua erant in prima mixtione ſua, ſed agunt & patiuntur ad invicem continue, quouſque generetur forma metalli imperfecti, in quo Sulphur quod eſt agens nondum eſt ſeparatum plene à ſua materia quæ eſt argentum vivum, quod oſtendit eorundem metallorum fæculentia & aduſtibilitas, quod ſi digeſtio continuetur usque ad ultimum, quouſque ſcilicet agens totaliter ſeparetur à materia, tunc generatur nova forma, quæ eſt forma Auri, & eſt ultima & perfectiſſima & à Natura principaliter intenta. Et hæc mineralia compoſita ſunt ex ſuis Elementis, imo Elementis indeterminatis quantitatibus & menſuris Naturæ quidem notis, nobis autem omnino ignotis, ſimul à principio mixtis in loco uno minerali, in quo virtus Cœleſtis conſervatur. Unde Na-

Natura permiſcet duo principia ab exordio in certis menſuris ac ponderibus cum ſolito inquinamento in mineris ſuis. Ipſa vero deinceps agunt ad invicem & patiuntur ſimul digerendo, quouſque in fine digeſtionis pars una & digeſta à ſuis inquinamentis & ſordibus ſeparetur, & tunc perficitur in metallum: & quanto digeſtio perfectior eſt, tanto metallum minus impuritatis habet. Quando ergo digeſtio eſt completa, tum forma agens quæ eſt Sulphur totaliter ſeparatur à materia argenti vivi, quia à principio Sulphur extrinſecum eſt Argento vivo & Naturæ contrarium, & ejus in ſubſtantiam non tranſit ut materia, ſed tantum agit in ipſum Argentum vivum, ſicut in rem aptam ad patiendum, & ſic alteratum alterat digerendo, & purum ab impuro ſeparat, ſicque poſt longam digeſtionem ſua virtute diſponit materiam ad ſimplicitatem nobiliſſimam, & dantem de potentia materiæ ejus formam, quæ tandem

aliam ſpeciem conſtituit quam prius fuit. Qua propter ipſa quoque metalli forma & præſertim Auri Sulphur dici non poteſt quamvis ſubſtantia ſit, quoad compoſitum & ſubſtantialis principalis pars, tamen materia ſua appellari non debet; quia non idem eſſe habet in compoſito quod extra habuit, quod oſtendit virtus, quia quamvis in parte ſit ſimilis eidem, tamen eſt longe alterius naturæ, quia excellentioris virtutis & diſparatæ, unde æquivoce dicitur Sulphur quod eſt in corpore perfecto; & nunquam corpori unitur; cum etiam diverſificentur Sulphura in duobus corporibus imperfectis, quæ utique differunt ſpecie, ſed non niſi per formas ſubſtantiales, & ideo corpus in quo taliter materia & forma uniuntur utriusque nomine non incongrue quandoque nuncupatur, unum tamen proprium nomen & commune retinet; quod utrumque complectitur. Ex quibus manifeſte deprehenditur, quod materia prima me-

metallorum eſt argentum vivum & Sulphur; non in ſua natura, quia ſunt mineræ diſtinctæ, & ubi illæ reperiuntur non reperiuntur metalla, ſed in natura alterata & alterando proxima. In natura metallorum, ut ſuperius dictum eſt, vapor eſt unctuoſus humidus, ex utroque principio cauſatus. Oportet enim certo tempore ex ambobus Spiritibus vapores elevari & ſibi occurrere, & in uno loco quem natura præparavit commiſceri, & ſoliditate loci conſervari. Niſi enim locus ille eſſet, ſolidus exhalarent, ſed frigiditas ipſius loci ipſos in commixtione, condenſat & confortat. Sic fit ut, in ſe invicem agere ac pati incipiant, & alterare ſe mutuo & tingere, ſubtiliando & impura ſeparando, quousque in metalli naturam ſimul vertantur. Hoc autem fieri minime, poteſt ſine calorê ventris Terræ cooperante & maturante. Qui utique calor cauſatur à motu & à lumine, cæleſtium corporum, & per eum,

virtus eorundem locis mineralibus ipſiusque mineris imprimitur, per quem generatio metallorum diverſimode completur. Hi ergo vapores proxima ſunt metallorum Elementa, & ideo metalla in ipſa reſolvi poſſunt, tam per Naturam quam per Artem ſicut ex ipſis ſunt genita. Et hæc Elementa differunt ab Elementis Mundi, quia ex illis ſunt compoſita.

Hæc omnia ſunt de intentione Philoſophorum, & hoc modo intelligitur dictum Ariſtotelis, quod ſpecies metallorum mutari non poſſint ad invicem, niſi reducantur ad ſuam primam materiam. Materia ergo prima intelligitur Natura ab omni forma denudata. Non enim nova forma introducitur, niſi prius corrumpatur, & in generatione rerum eſt proceſſus de prima forma ad ultimam. Per multas formas medias ergo itur in corruptionem, quia generatio unius eſt corruptio alterius, & ſic metalla reducuntur ad primam mate-

materiam, quando rediguntur ad illam primam ſimplicitatem, quam habuerunt Elementa eorum in prima compoſitione, in qua certe fuerunt Spiritus & vapores per Naturam perfectibiles ad compoſiti formam. Hæc omnia in perfectione Medicinæ conſiderare oportet. Oportet enim medicinam ex his rebus fieri, quæ metallis maxime conveniunt, & amicabilia ſunt, ipſis quoque metallorum principiis virtute, Natura, & ratione ſimilia. Ars quippe ex iisdem principiis aut omnino ſimillimis generat medicinam, ex quibus Natura generat metalla. Oportet enim hanc rem ex qua Medicina elicitur eſſe ex ſuis Elementis in debito numero, pondere & menſura à Natura etiam compoſitam, tali proportione ut naturæ metallorum maxime ſit conformis, & optime complexionata. Similiter & hic eadem res à Natura compoſita, quia Ars proportionem activorum & paſſivorum novit, & bene

ſcit componere utramque naturam ſcilicet agentis & patientis bene proportionatorum, ut mutua actione & paſſione alterentur, & ad aliam formam diſponantur, quarum una obtineat locum Sulphuris & maſculi, altera locum argenti vivi ſeu fœminæ. Medicina enim medium locum tenet inter Sulphur & argentum vivum, cum debita proportione commixta, quæ ſunt principia metallorum. Hoc modo & Aurum eſt ultimus finis & perfectus quem natura intendit. Et ideo Medicina habere debet uniformem naturam & virtutem Sulphuris & Argenti vivi, ſimul & perficiens metalla imperfecta in verum Aurum. Sed utique materia eſt alia ex qua fieri debet Elixir, & tinctura Philoſophorum à principiis per ſuam naturam metalla tingere in aurum non poſſet: Sicut nulla alia res in mundo manens in ſua natura, quia Natura talem materiam nunquam præparavit, & ideo neceſſe eſt illam amplius digerere per

per virtutem Sulphuris agentis & transmutantis de ſua propria forma in aliam nobiliorem formam, quæ eſt forma Auri. Solum enim Sulphur habet potentiam & virtutem digerendi & tingendi materiam ſuam & non alienam. Unde non poteſt res tranſire de forma ad formam, niſi mutetur per alterationes congruas à prima forma ſub qua erat. Et ſic quando Elixir perficitur forma ſua, debet prima materia ejus ſpoliari ab omnibus accidentibus prioris formæ, & ad ultimam ſimplicitatem reduci per operationes convenientes, & tandem nova forma in momento induci, quæ conſtituat Elixir habens potentiam informandi omnia metalla. Quare Elixir non erit eadem res quæ prius erat, ſed multo excellentioris naturæ & virtutis quam ante. Eſt enim Elixir non ſolum qualitas ſed & ſubſtantia, & ideo unitur metallis ſubito, mutat etiam in aliam ſpeciem & naturam. At hæc res perfici non poteſt niſi in

loco apto & cum labore extrinſeco movente, qui ingenio Artificis adminiſtrandus eſt recte. Sed de his poſterius ſuo loco dicendum erit. Sic ergo. Medicinam iſtam fieri oportet ex his rebus quæ metallorum naturæ conveniunt, nec fieri poteſt ſine commixtione rei tingentis albæ & rubeæ intenſe, nec ſine diuturnitate & laboris inſtantia, quia omnis illius ſubſtantia & puriſſima alba quidem in Luna, citrina vero intenſe in ſole perficitur. Et cum hac abſolvitur hujus operis miniſterium in medicinam, quæ Argento vivo maxime adhæret & illud coagulat, ac convertit in ſolificum & lunificum. Ex hoc manifeſte relinquitur, ex quocunque eliciatur hæc Medicina, oportet ipſam eſſe primo ſubtiliſſimæ & puriſſimæ ſubſtantiæ, & natura ſua illi adhærentis: Secundo habere facilem liquefactionis remiſſionem ad modum ceræ: tertio fixam eſſe ſuper igni per ignem. Sunt ergo quatuor conditiones quas Medici-

dicina habere debet: Prima eſt ut illuſtret cum fulgore ſplendenti in album & citrinum. Secunda ut facile fundatur & in profundo corporis alterandi hoc eſt per minima ſubito miſceatur, ipſum perfecte & complete alterando. Hæc autem duo non faceret Medicina, niſi ſubtiliaretur valde cum præparatione certa & determinata, & niſi fulgidiſſima ſeu fulgentiſſima ex illo ſubſtantia eliciatur, cum modo ſuæ ſeparationis. Sic enim in fuſione ſeparat omnem terreſtreitatem, ſulphureitatem, & immunditiem de commixto. Tertia ut determinatam fuſionem Lunarem aut Solarem adducat, quod non faceret niſi res tingens imperfectum album & rubeum ei miſceretur. Quarta, quod eſt fixa, ita ut ſequatur perpetua alteratio & immutabilis, quia non permaneret ejus impreſſio niſi figeretur. Quinta quod auget pondus metallo & per conſequens omnes proprietates naturales quas habet

aurum optimum, argentum puriſſimum ex natura ſuæ mineræ æque perfectas aut etiam perfectiores. Cauſa ponderis magni eſt denſitas, quando ſcilicet partes omnes ſunt denſæ nullo alio intercedente. Subtilitas & uniformitas in ſubſtantia & eſſentia corporum condenſat & conſolidat, ac pondus auget, propterea omnibus metallis eſt ſolidius & ponderoſius, quanto autem majoris ponderis ſunt metalla & ſubtilioris ſubſtantiæ, tanto etiam ſunt majoris perfectionis. Et ideo Aurum eſt pretioſius cæteris omnibus metallis. Hæc autem ſunt quæ oportet præcognoſcere volentem de Arte ſpeculari & practicare. Quia vero ſuperius notificatum eſt Philoſophos hanc Artem habuiſſe, quia omnes aſſerunt lapidem Philoſophorum & de eo miranda canunt, videndum eſt utrum habuerint. Pro quo ſciendum, quod duo ſint gravia & difficilia ad inveniendum. Scilicet materia ex qua generatur Elixir, & ejus regi-

regimen. In tanta enim rerum multitudine difficile fuit cognoſcere, quæ res ſit aptior huic operi & naturæ metallorum propinquior. Multo autem difficilius eſt cognoſcere & ſcire quis ſit modus agendi efficaciter, ſicut & difficilius fuit cognoſcere, quæ metalla & ex quibus principiis generentur, quam quo ordine & quomodo perficiantur, & tamen utrumque ſua induſtria & inveſtigatione invenerunt. De primo vero cognitionem cauſæ materialis non eſſe modicum munus introeuntibus Artem iſtam. Hæc enim eſt quam antiqui Philoſophi primo quæſiverunt, ut in cognitionē cauſæ formalis devenirent, quia omnis forma habet propriā materiam ex qua extrahitur, ſine cujus cognitione vacui erant à cognitione, & per conſequens ab Arte & operatione. Secundo Philoſophi ingeniati ſunt ſubtiliſſimo ingenio & profundiſſimo intellectu cum operatione mirabili, ſublimi & occulto per quandam digeſtionem congruam & pro-

proprietatem extrahere argentum vivum, quod eſt omnino idem cum argento vivo vulgi, ut cum ſeipſo congeletur, ſicut aurum liquefactum cum ſeipſo ſolo congelatur ab intrinſeco ſuo Sulphure. Habet enim iſtud argentũ vivum ab intrinſeco ſuo Sulphur prædictum ſibi ſubſtantiale & proprium. Omne autem Sulphur aut Sulphuris habens naturam, habet proprietatem congelandi argentum vivum. Ex hoc habetur quod Philoſophi utrumq; habuerunt, ſcilicet certam & propriam materiam & ipſius certum magiſterium, ex quo & per quod lapidem Philoſophorum qui pretioſior eſt omnibus lapidibus compoſuerunt, non tamen eſt dubium, quin cum magnis periculis, multis erroribus, plurimis laboribus, multi eorum ad hoc ſecretum pervenerint. Voluerunt Philoſophi quærentes hanc Sulphuris diverſitatem Arſenicum Sulphur eſſe vel compar Sulphuri non autem argentum vivum; quia in manifeſto eſt Sulphur in oc-

culto

culto vero argentum vivum, quando ſcilicet ſublimatur nivis albedine, deberent cum anxietate fatigare ſe, & laborare inveſtigando & ratiotinando & exercendo ſæpius in cognitione iſtius occultæ naturæ quæ eſt in Arſenico. Unde Philoſophi manifeſte poſuerunt, Arſenicum ſive Auripigmentum materiam Lapidis. Occultum dicitur quod eſt in re in potentia & primo intellectu comprehenditur, & eſt actu in re ipſa. Unde Philoſophi dixerunt, habere naturam Sulphuris potius quam argenti vivi, quamvis argentum vivum valde ſuperet in ejus compoſitione, occultando quantum potuerunt maximum ſecretum quod eſt in eo. Et ideo de natura argenti vivi exiſtentis in ipſo nihil manifeſte dixerunt, niſi procul & quaſi vilipendendo. Unde quidem Auripigmentum convertit æs in albedinem licet aliquantulum corrumpat, quam corruptionem meditari ſapientis eſt. Arſenicum enim in manifeſto habet mate-

riam

riam ſulphuream volatilem aduſtivam, in occulto vero argenteam albam fixam, ſub qua eſt rubedo aurea fixa. Cum ergo hoc argentum vivum fuerit ſpoliatum à ſuo Sulphure, habet naturam ſuam occultam à ſe ipſo, & ideo Sapientes conati ſunt naturam argenti vivi occulti in Arſenico cum ſuo occulto manifeſtare, & cum maximo Ingenio ex eo ſuum Sulphur & Elixir facere. Nam non ſufficit hujus Artis inquiſitori & operatori rerum tantum manifeſtas & apparentes cognoſcere naturas [nihil enim in Arte proficiet] niſi earundem interiores & occultas absque errore cognoſceret. Sed verba hæc non ſunt intelligenda ſecundum ſuperficiem, ſed ſecundum ſignificata per multitudinem. Et ita concluditur: Sic naturam in mineris metallorum generare auripigmentum, ex quo facit metalla. Sic natura intenta Arti generavit Arſenicum extra mineras metallorum; quod ulterius natura non transmu-

tat,

tat, ad Ars accipit ipſum & tranſmutat ipſum in ſubſtantiam veram & Elixir. Quod ſi natura hoc non feciſſet, Ars Alchymiæ prorſus vana fuiſſet & inutilis. Quamvis ergo Philoſophi per ſuum ingenium & laborem, & materiam ac operationem invenerint nihilominus tamen dicendum eſt; quod Deo revelante & inſpirante utrumque habuerint. Quia Deus qui eſt omnium rerum prima cauſa, creator & gubernator per ſuam Sapientiam & bonitatem diverſis hominibus diverſa tribuit dona, pro tempore & loco, ſecundum quod viderit convenire illis quibus largitur; quod non ſolum verum eſt de gratiis Spiritualibus, quales habent proxime ſalutem animæ & virtutes; ſed etiam de temporalibus quæ ad corpora ipſa aut res exteriores pertinent: quales ſunt divitiæ, honores, ſanitas, fortitudo & Mechanicæ Artes. Excellens eſt hæc Ars tum propter Philoſophiæ affinitatem, quia Philoſophiæ propinquior eſt,

eſt, tum propter operis facilitatem, quia non diu laborandum nec graviter, tum propter fructuum immenſitatem, quia innumera bona ſequuntur. Hic etiam lapis inter omnes nobilior & mirabilior eſt, ideo non omnibus datur, quia meliora paucioribus conveniunt non omnibus dico ut noſcant quid ſit & quomodo fiat, ſed pauciſſimis datur qui norunt hoc uti fæliciter. Quia Deus ordinat omnia ne ſibi vel aliis nocerent, ſi malis daretur multum nocere poſſint, ſi omnibus bonis non omnes bene uterentur tanto munere, ſicuti illi primi Philoſophi qui ad communem utilitatem conferebant, ideo merito acceperunt hoc donum Dei ut ſibi ſufficerent & aliis benefacerent. Ideo dicitur ſecretum Dei glorioſi, maxime eſſe ſervum Philoſophiæ. Inſpiratum autem eſt à Deo Prophetis ſuis & cæteris electis credentibus in eum, propterea regimen ejus majus eſt quam ratione percipiatur, niſi ab inſpiratione divina detur.

detur. Propterea dicunt omnes Philoſophi eſſe donum Dei, quia ſcienti illud & perficienti & recipienti Deus largitur & non ſubtrahit. Scienti vero & perficienti & non recipienti illud Deus largitur ac ſubtrahit. Quia ab ejus oculis ea neſciunt quæ ſumme retineri deberent. Nunc quæſtio incidit, An unius rei ſit Lapis, an vero ex pluribus compoſitus. Reſpondetur, Lapidem Philoſophorum, & naturam ſuæ originis eſſe unam rem ſimplicem individuam. Quia ſicut à natura generatus eſt, ita ſolus in hoc magiſterium intrat, ſine additione alicujus rei, extra naturam ſuæ ſpeciei exiſtentis. Veritatis namque Arcanum natura una eſt, & illud in ventre ſuo occultum non videtur, neque ſcitur niſi à ſapientibus. Quamvis autem Lapis unus ſit in ſubſtantia & natura, eſt tamen ex pluribus compoſitus, ex quibus ſua perfectio conſtat, non ſolum ſicut multæ res aliæ mixtione

occulta, ſed & in manifeſtis partibus ſuis diſtincte. Unum enim continet ſeu conjungit, duo componunt Medicinam. Itaque ſunt uno in corpore juncta duo. Nam fortitudo Artis deprehenditur in tribus, ſcilicet Sole, Luna, & Mercurio cum ſuæ præparationis cauſis. Quia in his duobus corporibus ſolum Sulphur ſapientum utrumque ſcilicet album & rubeum, in quibus natura ſagax continet ſemen ſuum, & in his tantum naſcuntur radii tingentes cum adjutorio noſtri ſolis. Lapis autem Mercurii complectitur utrumque. Nam Lapis Philoſophorum eſt unus in Trinitate, & trinus in unitate quia in ſe habet corpus Animam & Spiritum, Corpus ſtat, Anima vivificat, Spiritus tingit. Materia operationis debet eſſe una abſolute in qua eſt virtus corporis ſpiritus & Animæ, ſimilis materiæ minerali, in cujus operatione non eſt neceſſarium aliquod coadjuvans aut

ad-

adminiculans, in cujus figura excludit totam tota, & ſpiritum vitæ qui erat in medio rotarum. Et propterea vocatur à quibusdam Deus terreſtris: Sed abſit ut per hæc derogemus honori divino, quod Deo proprie convenit, & tribuamus creaturæ, niſi per Similitudinem. Per hoc ergo exprimitur naturæ lapidis compoſitio, & virtus inæſtimabilis. Tertio Lapis continet quatuor, quia ex quatuor Elementis componitur, ſicut cæteræ res omnes habent quatuor Elementa ſibi unita. Et licet quatuor Elementa in uno corpore ſint juncta vel unita & diſtincta per totum corpus diffuſa, tamen diverſum habet caloris dominium. Radices ſunt Aqua & Terra, quæ autem ex his compoſita ſunt, ſunt ignis & Aer. & hæc quatuor Elementa in Lapide ſunt in ejus occulto corpore valde proportionata & hominis complexioni convenientiſſima. Unde in via univerſali dicitur:

In hac re ſunt quatuor Elementa optime per naturam proportionata, utique figens & fixum, tingens & tinctum, album & rubeum, maſculus & fæmina; ſimul & compoſitio duorum ſpermatum. In hoc oportet non eſſe quietum, donec permiſceantur. Nunc poſtquam dictum eſt de Lapide & ejus compoſitione, videndum eſt de ejus utilitate, & nobilitate. Invenitur autem Lapis hic apud pauperem & divitem, apud euntem & ſedentem, & quilibet cognoſcit lapidem, nec tamen cognoſcunt nec habere poſſunt. Hinc merito à quodam Philoſopho dictum fuit. Laudetur qui creavit cariſſimum & viliſſimum. Eſt enim iſta Ars longe præferenda cæteris; in qua eſt parva impenſa, parvus labor, tempus breve, lucrum magnum, optanda ſecuritas & hilaritatem comitans largitas, & eſt lapis non lapis, vilis ac pretioſus, obſcurus & retectus, unius nominis & multorum

rum nominum. Idem quoque Lapis eſt pretioſiſſimus, quia ſine eo non operatur natura. Sed quomodo idem poterit eſſe viliſſimus & pretioſiſſimus, Reſpondetur. In ſe conſideratus vilis eſt, quia etiam in ſterquilinio projicitur, & vili pretio habetur, ſed conſideratus quantum ad effectum, eſt pretioſiſſimus, quia ex eo fit Elixir nobiliſſimum, & ſic in eo ſunt omnia metalla in potentia & præſertim Aurum quod eſt pretioſiſſimum. Et hoc dupliciter, primo in potentia remota ante ejus præparationem, ſecundo in potentia propinquiſſima poſt ejus perfectionem. Unde natura metalla generat de ipſo in potentia & in actu exiſtenti, præcedentibus tamen omnibus diſcretionibus congruis & habilitatibus ad materiam & formam ſuſcipiendam, & ſecundum quod materia diverſo modo diſponitur, alia & alia forma in eam introducitur. Omnis enim generatio eſt ex

propinquis principiis & univocis. Sicut ergo duo Spiritus naturæ ſcilicet Sulphur & Argentum vivum ſunt in potentia corpora, quia ſunt principia corporum metallorum, & è converſo materialiter & formaliter, ut patet oculata fide in mineris ſuis. Ex ſolis enim illis ſpiritibus natura facit actu corpora & è converſo, & non commiſcendo corpora ſpiritibus ut convertatur Spiritus ad corpora. Hic etiam ars generat Elixir neceſſario ex iisdem principiis proximis & univocis, ex quibus Aurum generatur, quia Elixir & forma Auri proxima ante principia auri ſunt duo ſoli Spiritus ſcilicet Sulphur & Argentum vivum. Ulterius natura facit ex ſolis ipſis ſpiritibus ſine admixtione alicujus corporis corpora fixa ſcilicet aurum & argentum: ita quod Spiritus tales per congruam digeſtionem recipiant proprietatem & naturam & eſſentiam corporis, & ex ſolis ſe ipſis

figan-

figantur. Ergo Aer ex ſolis ſpiritibus ſuper ignem ſuum facit Elixir fixum, & ſicut Spiritus minerales non ſunt vulgi ſed alterati, ſic etiam Spiritus Artis. Et ſicut natura de ſolis ſpiritibus facit corpora in actu, ex his ſcilicet ſpiritibus, qui ſunt corpora in potentia. Sic etiam Ars debet facere. Et ſicut natura hæc principia ſimul componit in certis menſuris & determinatis ponderibus, ſic etiam Ars debet componere. Sed Ars non poteſt ſcire debita pondera, ergo oportet tanquam Ancillam talia accipere à natura compoſita. Erit ergo una materia à natura ponderata, in qua Ars operari debet, & illa ſufficit. Ex quibus concluditur neceſſario omnes differentias quæ ſunt in Auro minerali, eſſe quoque in lapide & in Elixire in potentia, ut manifeſtantur in Auro, quod fit per Elixir in actu ſcilicet quod ſit graviſſimum, citriniſſimum, ſplendidiſſimum, impaſſibile

ab adurentibus, temperatiſſimum, & maxime medicinale. Ex omnibus hic allatis concluditur, quod illi duo Spiritus ſoli à natura commixti, ſcilicet Sulphur & argentum vivum, ſint principia & materia metallorum, & ſint metalla in potentia. Ergo etiam & Ars ex ſolis iisdem principiis & omnino ſubtilibus à natura, commixtis generat Elixir quod eſt Aurum in potentia, præcedente, congrua præparatione duorum illorum ſpirituum in corpus. Sic ergo Spiritus Mercurialis exiſtens ſubjectum naturæ, & Spiritus ſibi omnino ſimilis Artis ſubjectum cum fuerit per Artem ſublimationis ingenioſam mundatus & purgatus à ſordibus ſuis, & per congruum ignem venerit ad Artem, tunc eſt Spiritus ſimplex figens in actu, quem Philoſophi præſciverunt, & eſt corpus in potentia, hunc nos debemus perficere, absque additione alicujus extrinſeci, & convertere, converſione

in

in corpus, in actum, quod ſit Elixir fixum & rubicundiſſimum ſicut Sanguis, & tunc eſt corpus ſolare Philoſophorum & ipſorum Aurum occultum in Argento vivo Philoſophorum. Unde manifeſtum eſt quod non ſolum corpora metallorum ex his tantummodo ſpiritibus fiunt, ſed & omnium aliorum mineralium generatio eſt ex vaporibus propriis ſive ſimplicibus, qui vapores omnes ſunt de genere ſpirituum, qui fugiunt à calido & tamen in fine digeſtionis figuntur à frigido conſtringente, & figuntur per ſiccum ſuis corporibus occultis exiſtentibus in eis in potentia, absque permixtione alterius corporis extrinſeci cujuscunque. Et hæc eſt pretioſitas Lapidis. Multi autem Philoſophorum libros legentes & credentes Lapidem Philoſophorum poſſe fieri, quærunt & non inveniunt, laborant & errant, ac vitam ſuam perdunt & rerum ſubſtantiam. Alii vero veritati quam maxime appropinquant,

 qui

qui ſcilicet cum Argento vivo & Auro laborant. Ideo quia Aurum eſt corpus nobiliſſimum & Argentum vivum nobiliſſimus Spiritus, & per amborum commixtionem ac digeſtionem poteſt extrahi anima. Sed nec hi ſecundum intentionem Philoſophorum agunt, ſed decipiuntur in nominibus quibus utuntur Philoſophi. Scito quod hæc Ars myſtica eſt: ipſi autem applicant nomina ad ipſas res ſic ſonantia. Philoſophi enim cum de Argento vivo vel Auro loquuntur, volunt dicta ſua intelligi de Argento vivo Philoſophorum & de Auro Philoſophorum. Quia Aurum Philoſophorum & Sulphur Philoſophorum eſt quod extrahitur de Argento vivo Philoſophorum. Oportet ergo occulta nomina in dictis Philoſophorum conſiderare non ipſa ſignificata volentem non errare. Alii vero laborant in Arſenico vel Auripigmento, quia utrumque compoſitum eſt à natura ex duobus principiis mineralibus, ſcilicet

Ar-

Argento vivo & Sulphure, quod oſtendit ſublimatio ſplendens & tingens in albedinem, ſimiliter liquefactio metallica. Quod autem tingat argentum vivum habet à Sulphure coagulante ipſum & tingente, Unde ſi primo Arſenicum decoquatur in acutis rebus ſicut in Aceto, Urina, & Sale, & poſtea ſublimetur cum calcibus metallorum & ſalibus, efficitur albiſſimum ſicut nix & tranſparens ſicut cryſtallus. Similiter Arſenicum eſt valde ponderoſum & inflammabile. Sed pondus non poteſt habere niſi ab argento vivo, inflammationem vero non niſi à Sulphure. Ergo Arſenicum erit ſubjectum & principium apud naturam in generatione Auri, & apud Artem in generatione Elixiris. Sed hi graviſſime errant. Primo quia natura Arſenici eſt volatilis & aduſtiva. Secundo, quia eſt difficilis fixionis & fuſionis. Tertio, quia ſolum dealbatur in minori opere, grave autem eſt citrinitatem ex occulto
ejus

ejus trahere, quamvis in natura ſua Sulphur habeat, ratione cujus fixari poſſet & rubefieri; quod etiam argento vivo ſuo per minima inſeparabiliter conjunctum eſt, & ipſum, coagulat & aliquantulum digerit. Quarto; quia quamvis Philoſophi videantur ipſum aſſerere materiam Lapidis, tamen loquuntur de ipſo ſub metaphora, quod oſtendunt alia verba eorundem Philoſophorum quæ de Arſenico vulgi verificari non poſſunt. Loquuntur enim Philoſophi de re alia, quæ ſe habet in ſua, comparatione & proprietatibus ad modum Arſenici: Et hoc vocatur, Arſenicum; primo eſt citrinum, poſtea ejus manifeſtatur occultum quod eſt Argentum vivum occultum cum ſuo Sulphure occulto. Sic etiam illa res de qua Lapis Philoſophorum fit primo in operatione citrinatur & nigreſcit, poſtea albeſcit, in qua albedine eſt occulta rubedo. Alii vero laborant in marcaſita, tutia, magneſia, Antimonio & ſimilibus,

bus, ſed vane. Primo, quia à marchaſitæ ſubſtantia removetur Sulphur totaliter per Ignem lentum, & ſuum argentum vivum remanet in fundo vaſis mortificatum, quamvis poſtea cum ignitione fortiori ſublimetur in Aludel. Sed Sulphur in generatione metalli eſt neceſſarium usque ad complementum digeſtionis. Ergo etiam in generatione Elixiris. Secundo, quia Argentum vivum Marchaſitæ ſublimatum, non liquefit liquefactione metallica fixa, quod tamen requiritur tam in metallo quam in Elixire. Tertio, quia in mineris metallorum non reperitur marchaſita aliqua nec aliquod obtinens ejus proprietates. Sed in omni minera reperitur Argentum vivum & Sulphur. Ergo illa ſunt Principia metallorum non hæc; Ergo ſimiliter & quaſi eædem rationes ſunt de Thutia, magneſia & Antimonio, niſi quod Sulphur iſtorum nullo modo eſt ſeparabile ab eis.

Alii quoque laborant ad faciendum Lapidem de quibusdam Animalibus, ſive de aliquibus partibus eorum, veluti ex oſtreis, teſtudine, baſiliſco, fuſone, Salamandra, & reliquis. Alii de ſanguine Hominis, ſpermate, cranio. Alii ex aliis infinitus rebus ſimiliter, quod vanum eſſet enarrare, & horum omnium eſt unus operandi modus, ſcilicet ut putrefiant & ſeparentur Elementa per Alembicum & rectificentur, poſtea albificetur terra; deinde conjungantur ſimul, congelentur & fixentur; ex quo concludendum eſt, quod Philoſophi horum omnium verbis, cum de lapide loquuntur uſi ſunt, & pluribus aliis nominibus, & non ſunt mentiti ſecundum intentionem ipſorum, quia ſub Allegoria dixerunt veritatem; tamen imprudentes rerum prout voces ſonant acceperunt, & in eis laboraverunt, & ſe & alios deceperunt, nec ad cognitionem Lapidis Philoſophorum, nec etiam perfecte appro-

appropinquaverunt, ſed ſemper Sophiſtica fecerunt, quia operatio ſecundum literarum intentionem eſt diſſipatio divitiarum. Sicque res & ſubſtantiam vane perdunt, finemque optatum non conſequuntur. Quamvis Lapis Philoſophorum cognoſci facilius non poſſit; quia Philoſophi aliarum rerum nominibus eum nominant, & multis obſcurant, & proprium ejus nomen tacent: Tamen ſi quis fidelis fuerit, & frequenter eorum libros legerit, & ſi intellectu Naturæ opera viderit, inſpirante Deo inveniet quod quærit. Sunt enim duæ res quæ faciunt invenire hunc lapidem cum magiſterio. Prima eſt lectio cum diligenti inquiſitione. Qui enim in legendis libris deſes extiterit, in præparandis rebus promptus eſſe non poterit. Sane liber librum exponit & aperit, ac ſermo ſermonem explicat, quia quod in uno eſt diminutum, in alio eſt expletum. Non ergo poteſt de levi ad Practicam adſueſcere, cujus

mens in Theorica renuerit deſudare. Qui enim citius cupit pervenire ad Artem noſtram, libros noſtros non adſpiciat, quoniam magnam moleſtiam & injuriam nobis inferunt, antequam à Lectoribus intelligantur, ſemel, vel bis, vel ter noſtris voluminibus perlectis. Secunda res eſt fidelitas honeſtata cum devota oratione ad Deum. Qui curvat dorſum ſuum in noſtris libris legendis eisque vacat, & non eſt in vanis implicitus cogitationibus, Dominumque precatur, regnabit in eo indeficienter, quouſque moriatur. Et ſi ex dictis aut dicendis non poterit aliquis ad noſtri Lapidis notitiam pervenire, propter offuſcationem ſui ingenii, non reprehendat ſapientes, ſed ſeipſum. Si enim quæſierit, & ignorans ſit, cognoſcat quod Deus cælavit ab eo veritatem. Nam ſi Deus ipſe ſciret in eo mentem fidelem, ei utique veritatem inſpiraret. Ex quo etiam omnes hunc Lapidem celare debent, & maxime

regi-

regimen ejus, ne in manus inimicorum deveniat, & nos ſimus poſtea cauſa ipſis male agendi, unde à Deo puniri promereamur. Deus autem ſolus poteſt gratis cui vult largiri, nec largiendo peccat, quia injuſtus eſſe non poteſt aut imprudens, ſed perfecte cognoſcit, quod hominibus expediat. Ab hac ergo Arte benedicta ſunt vetiti, milites, ac morum ac delitiarum fæminalium clientes ſcelerum truces, vindictæ avidi, cupidi, avari, homicidæ, ac prophani. Nam latet impiis hæc ſancta atque aurea virtus. Hic ergo Lapis tam diligenter à Philoſophis occultatus, difficulter invenitur, quia multa alia metalla transmutat, ſive vere ſive ſophiſtice inveniatur. Tamen quibus Deus ipſe favet, & qui ſenſum verborum attendunt & non voces. Lapis hic dicitur à Philoſophis æs, propter ſimilitudinem & tamen æs non eſt, eſt tamen æs Philoſophorum. Scitote ergo omnes periti mente, quod nulla fit tinctura vera niſi ex noſtro ære, & hoc intelligendum eſt, quando compoſitio no-

ſtra perfecta eſt, & in Elixir converſa. Hoc æs corpus, animam & ſpiritum habet, & ex eo fit aqua. Recipe ergo ferrum & duc in laminas & argentum vivum, & purum ex ferro ipſo adminiſtratione exprime, & tandem in Auri puriſſimam ſpeciem converte. Quod tamen non intelligitur de ferro vulgari, ſed de ferro Philoſophorum, propter colorem ſimilem cum ferro, quem in decoctione accepit, ſicut etiam de Ære. Æs cum dealbatum eſt, & cum rubeum factum eſt, ipſum Aurum dicimus. Hoc autem æs quamplurimi ignorant. Vocatur etiam Plumbum. Et ſcitote, quod absque Plumbo nulla fit tinctura vera, eam quæ vim habeat. Plumbum noſtrum coque quousque rubeum fiat. Et dicitur Plumbum, quia in manifeſto eſt Argentum, in occulto vero Aurum, & quiá calcinatum fit rubeum. Vocatur etiam Magneſia ab invidis, quia in ea maximum eſt Arcanum. Plura vero ſunt alia nomina, quæ naturam ejus exprimunt, ſed è remotis. Sunt alia quæ expreſſius indicant,

quid

quid ſit Lapis: Primo quia hæc res eſt compoſita ex corpore & anima. Æs noſtrum habet corpus & Animam ut homo. Et quemadmodum hominum ſpiratio eſt ex Aere; ſic res noſtra humido inſpiratur, & propter hoc à quibusdam vocatur Homo. Lapis ab hominibus aſſumptus eſt illud quod abundat in eo in vere. Quapropter ipſum eſt Animal quod corpora roborat. Lapis eſt in re animali & ſpirituali. Lapis eſt mineralis, vegetabilis & animalis, quia horum proprietates & naturam ſervat. Deo perſolvamus honores, qui pennas alasque negat melioraque donat. Cum ergo lapis ſit compoſitus ex corpore, Anima & ſpiritu carere non poteſt. Quia Spiritus vinculum eſt Animæ & corporis. Quare etiam ex tribus compoſitus dicitur, ſcilicet, Anima, ſpiritu & corpore, ut ſupra dictum eſt.

Lapis cadens fit ex tribus,
Nulli datur, niſi quibus
Fit ſpiramine Dei.

Secundo dicitur Ovum Philoſopho-

rum propter ſimilitudinem quam habet ad ovum. Attendite ergo, veritatem tantum conſiſtere in tribus ex quibus fiat vera compoſitio, verum & integrum Elixir, videlicet ex lapide lunari & ex lapide Solari, & ex lapide Mercurii, qui complectitur utramque naturam videlicet albam & rubeam,

Nunc hic tibi trado: Ovum
Noſtrum cape, ſi ſcis, novum
Tractando rem Lapidis,
Quod produxit in brutorum
Dulce pomum & odorum
Floridus hic pomulus.

Qui Argentum vivum cum Albumine & vitello Ovi noſtri tingere noverit, ad arcanum id quod dicitur Philoſophorum Sulphur ſe perveniſſe ſciat. Licet Deus in Animalibus & vegetabilibus donaverit unicuique lapidem perfectum Phyſicum, & Medicinam perfectam, quæ poteſt transmutare omnia metalla in ſolem & lunam, tamen homo non poteſt eum facillime invenire. Tertio habet Lapis in ſe duas naturas principales. In hac enim

re

re ſunt quatuor Elementa optime proportionata, ibique eſt figens & fixum, tingens ac tinctum, album & rubeum, maſculus & fæmina ſimul compoſita. Sunt enim duo Spermata neceſſaria in hac Arte, ſcilicet Maris & Fæminæ. Mas dicitur Sol. Fæmina dicitur Luna. Sol dicitur Pater, Luna dicitur Mater, & non fit imprægnatio niſi Maſculus Fæminæ jungatur. Scitote ergo, quod natura illa eſt mas & Fæmina, & invidi vocaverunt eam Magneſiam, eo quod in eo eſt maximum Arcanum. Lapis quoque habet duos colores ſcilicet album & rubeum, album in manifeſto, rubeum in occulto. Eſt calidus & ſiccus. Et ex hoc eſt Oleum tingens, Annulus aureus argento coopertus, & hoc ſignificat Lapidem Philoſophorum, qui quidem in ſuo profundo eſt maſculus & aureus, & in ſuo manifeſto, eſt argenteus & fæmineus. Lapis noſter eſt altiſſimus & citriniſſimus, & in ipſo ſunt quatuor Elementa. In ipſius occulto eſt caliditas & ſiccitas, in ejus manifeſto frigiditas & humiditas. Id

quod eſt in occulto, eſt oleum, & eſt de natura ſolis & Ignis. Frigiditas autem eſt fumus aquoſus, & eſt de natura aquæ & Lunæ. Lapis Phyſicus eſt pro parte fixus, & pro parte non fixus ſed volatilis. Aliter enim non teneret naturam Argenti vivi & metalli, inter quæ eſt medium, quia naturæ fixæ conjungitur natura volatilis, & quando eſt ei junctum, incorporatur naturæ fixæ, & fixatur unum cum altero. Quicquid enim ad hoc opus vel Magiſterium confeceris, in cujus principio veritatem non inveneris, inutile eſt, quod namque boni poteſt comparari, cum ipſa res non ſolvatur, nec ſuum in mundo commiſceatur, ita ſcilicet quod in unum corpus redigatur. Laudetur ergo Deus, qui ex vili creavit pretioſum, ut cum mineralibus maximum teneat Symbolum in natura, & Deus dedit illi ſubſtantiam, & ſubſtantiæ proprietates, quas nulli contigit ex rebus in natura poſſidere. Unde ipſum ſolum eſt quod ignem ſuperat, & ab eo non ſuperatur, ſed in eo amicabiliter quieſcit,

eo gaudens. Ipſum namque ſolum continet in ſe totum quo indigemus in noſtro magiſterio. Unde hoc argentum vivum continet in ſe Sulphur ſuum bonum quo coagulatur in ſolem vel lunam, ſecundum diverſum digeſtionis modum. Et quamvis multa ſint gummi, ex quibus quædam prunas ignis nequeunt ſuſtinere, nam eo diminuuntur. Illæ autem applicationes noſtræ quæ fiunt ex gummi noſtro, & ex honorabili noſtro lapide prunas ignis ſuſtinent, nec unquam eo diminuuntur, quoniam in igne nutrita ſunt. O quam multi ſunt hujus gummi inveſtigatores, & quam pauci ſunt qui cognoſcunt eam de utraque natura ſimul. In via enim univerſali iſtorum duorum corporum conjunctio neceſſaria eſt in iſta Arte, ad utrumque Elixir, quia unum alterum ſolvit, & volatile facit, ac unum alterum tingit & fixat. Et dicemus de Mercurio, Luna & Sole, quia omnia hæc tria in una re exiſtunt. Ergo non opereris niſi cum Mercurio, Sole & Luna, quia tota Ars

in ipſis conſiſtit. At non loquimur de Sole, Luna & Mercurio vulgari, ſed de noſtro Mercurio, qui Solem, Lunam & Sulphur Philoſophorum in ſe continet. Cæcus enim eſt, qui de re aduſtibili putat facere Artem, cum operatio divina ſit ex pura ſubſtantia quæ in igne perdurat, ſine aliqua combuſtione. Omnes enim aliæ res per combuſtionem ignis deſtruuntur & conſumuntur. Aurum autem & Argentum in Arte noſtra ſimul ordines, & habebis totum Magiſterium, nec tamen dicimus Aurum vel Argentum vulgi. Nam argentum noſtrum & argentum vivum noſtrum, & Aurum noſtrum eſt Sulphur noſtrum, & hoc totum nihil aliud eſt, quam Argentum vivum de Argento vivo, & Sulphur de Sulphure. Non autem intelligas ad literam, niſi figurate. In ſubjecto enim noſtro ſunt Maſculus & Fæmina & ſimiliter Sol & Luna. Dixit ergo Soli Luna: Tu me indiges, ſicut gallus indiget gallina. Ex his omnibus elicitur hoc ſecretum, quod ſicut duo ſunt Principia metallorum

rum in natura, ſic etiam duo ſunt Principia Elixiris in Arte, ſcilicet Argentum vivum & Sulphur, quæ omnibus jam dictis nominibus nominantur. Idem quippe eſt dicere maſculus & fæmina, quod Sulphur & Argentum vivum. Idem Sol & Luna, Idem Pater & Mater. Idem vir & uxor. Idem calidum & frigidum. Idem oleum & Aqua, idem Auripigmentum & Arſenicum, & his ſimilia. Per hoc enim unius & ejusdem rei diverſæ ſignificantur proprietates, & duo colores quos lapis habet, ſcilicet rubeus & albus. Inter hæc autem omnia nomina, nomen ſolis & Lunæ proprie Lapidi noſtro convenit. Sed magis proprie nomen Sulphuris & Argenti vivi, & per conſequens Arſenici, maxime autem proprie Mercurii nomen præ omnibus ſibi attribuitur. Adhuc in Lapide noſtro ſunt omnes Planetæ virtute, duo tantum præcipue Sol & Luna, quia cæteris prædominantur. Eſt namque res una quatuor Elementa continens & ſeptem Planetas: duo quidem ſunt meantes, & quinque

non meantes. Sunt enim omnes Planetæ & eorum imagines in ſuis locis, ſicut in Sphæra, ſuis temporibus operantur. In omnibus namque corporibus Alchymiæ quilibet Planeta ſuo loco ſuam facit imaginem, usq; ad complementum operis. Sol ergo & Luna principium tenent & finem, Et ſicut Sol à principio occultatus occultatur in Luna, ita in fine occultatus extrahitur à Luna, Lapis autem proprie magis Sulphur & Mercurius dicitur, quia horum proprietatem tenet & naturam: ſicut enim ex menſtruo absque ſemine non generatur embrio, nec ex ovis venti fit generatio Avis, quia virtus Animæ non eſt in eis niſi ex ſpermate mariti: Sic ex Argento vivo nunquam fit aurum, neque argentum, neque etiam Elixir absque Sulphuris actione, quia non eſt in eo virtus generativa niſi per Sulphur. Item, ſicut ex ſpermate ſolo aut ſemine maris absq; menſtruo & materia fæminæ non generatur aliquod Animal, quoniam tota materia generationis & nutrimenti non eſt niſi

ex

ex fæmina, ſic ex ſolo Sulphure absque Elixire. Ergo oportet iſta duo principia ſimul à natura commixta concurrere ad generationem Elixiris, ſicut etiam ad generationem metallorum. Sulphur ergo ſua actione digerit Argentum vivum, dans ſibi tincturam metallicam, primo albam, poſtea rubeam. Argentum autem vivum in ſua natura manens quantumcunq; album & purum non tingit ſua caliditate ac ſiccitate. Et has conditiones lapis noſter habet. Propterea ſub Allegorica materia Lapis dicitur Arſenicum. Et non immerito: Quia Arſenicum utramque naturam continet, ſcilicet Sulphuris & Argenti vivi, Arſenicum enim habet naturam & proprietates & ſubſtantias illorum commixtas, & ipſum ſcilicet Arſenicum eſt obtinens vices & vicariatum illorum, & eſt principium naturæ per illorum commixtionem, cum habeat potentias & virtutes ipſorum. Tria ſunt enim principia naturæ, ſcilicet Argentum vivum, Sulphur & compar Sulphuris, quod etiam

Arſe-

Arſenicum eſt. Principia namque naturalia in opere naturæ, ſunt Spiritus fætens & Aqua viva, quam & aquam ſiccam concedimus nominari. Quia argentum vivum in Arſenicum coagulatum eſt Aqua ſicca. Sic ergo appellatur Arſenicum, ut intelligatur ſcilicet utramque naturam in eo eſſe unitam in tertia natura, quæ non ſit Sulphur vulgi, nec argentum vivum vulgi. Sed eſt unum habens eorundem virtutes & proprietates: Et etiam ut intelligatur quod in Lapidis noſtri ſublimatione primo ad albedinem proceditur, in cujus ventre vera & perfecta latet rubedo. Scias itaque quod Sulphur & Auripigmentum comburuntur, & à combuſtione cito conſumuntur: Quomodo ergo expectatis aut expectare vultis de eo quod cito ab ignis combuſtione conſumitur, & in carbonem redigitur. Quod conſiderando Arſenicum ſecundum quod eſt à natura productum totum comburitur, quia nunquam Sulphur combuſtibile ſeparatur ab illius partibus, ſed omnes ſimul evaneſcunt.

Simi-

Similiter etiam in minori opere, ſi taliter figatur nunquam ingreditur. Sed conſiderando naturam ejus occultam quæ de natura Auri, ſic non comburitur, quia partes ejus occultæ per profundiſſimum ingenium ſeparantur à Sulphureis. Lapis quoque maxime proprie dicitur Mercurius à Philoſophis, eo quod ſecundum totam naturam ſuam habet proprietates Mercurii, & illas retinet in principio medio & fine. In principio quidem, quia opus incipit à natura volatili, quæ ſimilem albedinem habet cum argento vivo. In medio autem, quia tota materia ad perfectiſſimam albedinem cum ſplendore cryſtallino perducitur. In fine vero, quia quamvis extrahatur rubedo de occultis ejus. Nihilominus tota materia Mercurialis eſt, quia quanto ſunt metalla perfectiora tanto plus de Mercurio & minus de Sulphure habent. Propter quod Aurum totaliter ſpectatum eſt à Sulphure poſt completam digeſtionem, & ideo magis incorruptibile & magis fixum eſt omnibus metallis.

Quam-

Quamvis autem à principio Sulphur incipit coagulare & tingere Argentum vivum in diverſis coloribus, tamen poſt longam digeſtionem Argentum vivum ex ſe habet potentiam coagulandi & tingendi ſine alio Sulphure. Utraque enim tinctura ſcilicet albedinis & rubedinis eſt ab utroque ſpiritu: Albedo tamen proprie eſt ab argento vivo, rubedo vero à Sulphure proprie. Cum ergo argentum vivum à Sulphure in coagulatione & digeſtione virtutem & ſubſtantiam Elixiris, recipit etiam ab ipſo potentiam tingendi & transformandi omne corpus in metallum perfectum, & primo in album in prima digeſtione, ſecundo in rubeum in ultima digeſtione. Prima ergo tinctura eſt ab argento vivo, quam tum recipit à Sulphure digerente. Cujus ſignum eſt, quod omne metallum cum fuerit purificatum, oſtendit in manifeſto potius naturam Argenti vivi coagulati quam Sulphuris, propter exuberantiam ejus in manifeſto. Secunda etiam tinctura eſt ab argento vivo, quia de

ejus materia educitur forma ultimã. Et hoc modo Lapis dicitur Argentum vivum. Et hoc Argentum vivum eſt ex corporibus extractum, & eſt generatum ex argento vivo & ex maſculo, & congelatur à ſuo Elixire ſubito, id eſt à Sulphure Philoſophorum, quod nunquam ſeparatur ab eo. Et quamvis Argentum vivum trahat ſuum corpus ſecum ad volatum, tamen ſubito corpus illud interimit ipſum & ſecum retinet in igne, argentumque vivum volans & ſpirituale, totius operis eſt exordium & radix firma. Unde ſol in hoc loco albedinis natura volante muliebrem ſuſcipit formam, ſed quia rubor prævalet, tribuitur Soli. Quamvis enim ſolide & vere ſit rubeus, tamen primo promit albedinem propter naturam Argenti vivi, in quo eſt radix rubedinis occulta, quemadmodum minium in ceruſſa. Sol eſt enim albus apparitione, rubeus vero experimento. Et quando hic Mercurius oritur, ſimul cum eo in ventre ſuo oritur Sol & Luna. Sol vero ſimul aſcendens retinet & figit

figit Mercurium abſcondens ſe in ventre ſuo. Unde ſi ſol ſimul cum Mercurio non aſçenderet, volando non uniretur ei nec figeret ipſum. Per hoc enim quia ſimul aſcendunt, unum recipit virtutem ſuper aliud. Et ideo tunc Spiritus vincit corpus, & corpus ſpiritum, & convertuntur ad unam naturam. Ergo origo iſtius radicis & fundamentum eſt Mercurius ſublimatus purgatus mundus & candidus. Et de hoc argento vivo dicimus, ipſum deſiccat, humectat, infrigidat & calefacit, & facit operas contrarias ſecundum ſuum condimentum. Ergo ſi non poſueris levamentum, totam amittes confectionem, quia ſi argentum vivum aſcendens in ſublimatione ſimul in unum cum corpore, non poteſt ſeparari ab eo, nec è converſo ſecundum ſubſtantiam. Neceſſario ergo aut ſimul recedent, aut ſimul manebunt. Si vero corpus receperit vim & dominium ſupra ſpiritum, tunc convertit ipſum ad naturam ſuam, & ſic permanebit de cætero in æternum. Si vero Spiritus receperit

perit vim ac dominium ſupra corpus, tunc ſimul evolant, & annihilatur corpus. Et hujus ſpeculatio eſt pulchra, quia omnis res generabilis & corruptibilis habet ſuum contrarium in ſeipſo in potentia, quod poteſt deduci ad actum absque præſentia & permixtione contrarii ſui exterioris. Et iſto modo quod erat fixum in potentia, in non fixum reductum in actu, retinet non fixum. Si ergo ſumma volatilitas ſuperaverit ſummam fixitatem, volabit cum ea. Si autem ſumma fixitas ſuperaverit ſummam volatilitatem, figetur ſimul cum ea. Planum autem eſt, quod fixum ſuperans volatile perficit opus. Volatile autem ſuperans fixum, perimit & annihilat opus. Quare irritate bellum inter æs & argentum vivum, quia pariter tendunt. Irritare bellum eſt deſtruere, ipſo ſcilicet tempore quando volunt pacificare poſt bellum; & hoc eſt Sol & Luna Sulphuris & Mercurii, in quo oportet toties facere fixum volatile & è converſo, quousque ſimul figantur & fluant in verum lunificum

& ſolificum alterando. Et hoc Argentum vivum deſponſatur cum Auro, & è converſo. Et quia una ſubſtantia eſt ſubjectum fixi & volatilis, poſſibile eſt quod fixum cum volatili aſcendat, & è converſo volatile cum fixo fixetur. Et hoc totum, fit in uno vaſe absque manuum contritione. Ex his ergo patet quod lapis propriiſſime vocatur Mercurius. Quamvis etiam nominetur Aurum Philoſophorum de argento vivo extractum, & pluribus aliis etiam nominibus infinitis, quo ad ipſius generationem. Hic Lapis componitur ex lacte volatilium. Sunt autem neceſſaria hæc duo ſpermata in Arte noſtra ſcilicet maſculinum & fæmininum. Et oportet quod ſpermata habeant idoneum conceptaculum vel receptaculum ſuæ ſubſtantiæ & ſuæ naturæ conſonum, in quo ſuas perfectiones exerceat. Et iſtud vas eſt Luna. Tactus hujus Lapidis eſt mollis, & eſt major mollities in eo quam in ſuo corpore. Pondus vero illius eſt grave, & ejus guſtus dulciſſimus, ejusque ſubſtantia vel natura aerea.

rea. Et ejus odor ante confectionem eſt gravis & fœtidus, & aſſimilatur odori Sepulchrorum. Sed poſtea fit ejus odor bonus & ſuavis, & nihil remanet in eo obſcuritatis & fœtoris.

Dictum eſt de Materia Lapidis, nunc dicendum eſt de regimine ejus. Multi enim ſciunt Lapidem ſed regimen ejus ignorant. Unde ſcire oportet, quod etſi multi in hac arte operantes imo pene infiniti errent in cognoſcendo materiam propriam & immediatam Lapidis: longe plures & multo magis falluntur & decipiuntur in ejus gubernatione, & ideo pauciſſimi ad perfectionem Lapidis perveniunt, & de mille vix unus. Nam hoc opus excellentiſſimum ſine impedimento difficile perducitur ad finem. Ergo oportet Artificem hujus magiſterii, cum multis laboribus & erroribus ad perfectionem ejus pervenire. Multi enim habent Lapidem noſtrum & cognoſcunt, ſed neſciunt ejus virtutem, & ſi ſcirent virtutem, nihil valeret, niſi ſcirent etiam ejus operationem. Operatio autem non

poteſt ſciri niſi per inſpirationem Dei, aut per doctrinam & inſtitutionem fidelis Magiſtri. Cauſa erroris in dicto noſtro Lapide, humor aereus ſubtilis cum aquoſo, & aquoſus cum terreo ſicco ita ſunt coadunati, quod vix vel nunquam niſi ſubtiliſſimo Artificis ingenio ab invicem ſeparari poſſint. Beatus ergo ille, qui tantam ingenii ſubtilitatem adeptus eſt in hoc mundo: quoniam absque hujusmodi ſeparatione omnes practicantes ſeu operantes invanum laboraverunt. Et quia tamen eſt difficultas in hujusmodi ſeparatione, ideo nemo vel vix unus inter omnes Mundi Philoſophos ad ipſum pervenire poteſt cum effectu. Non ergo quisquam jactet ſe ſcire hunc, vel artificem eſſe, niſi ſciat prædictos humores in dicto lapide ſequeſtrare. Qui vero ſciverit facere hanc ſeparationem, & puriores partes ſcilicet aereas ſpirituales ſubtiliſſimas in unum naturaliter adunare, & ex ipſis Medicinam formare, erit Indagator pretioſæ perfectionis. Hæc eſt namque hujus rei radix, ut qui eam ad-

diſce-

diſcere voluerit, ejus doctrinam primo à Magiſtro accipiat. Poſtea Magiſter coram Diſcipulo frequenter pertractet eam. Sunt enim hujus ſcientiæ plura obſtacula, & multa diſtantia eſt inter ſapientes & incipientes, ut inter cæcum & videntem. Nec ille qui diſpoſitionem hujus magiſterii per probationem recte cognoverit, eſt ut ille qui adhuc in ejus inquiſitione per libros perſiſtit. Ex his elicitur, quod operatio qualiſcunque ſit, neceſſaria eſt in hoc Phyſico Magiſterio. Quamvis autem noſter Lapis jam in ſe naturaliter tincturam contineat, quoniam in corpore Magneſiæ id eſt terræ perfecte creatus eſt, tamen per ſe motum non habet, ut fiat Elixir completum, niſi moveatur Arte & operatione. Eſt igitur nobis operatio neceſſaria. Sicut vides in Infante, qui quantum ad creationem attinet, naſcitur perfectus. Imperfectus tamen quo ad operationem niſi nutriatur. Ideo diverſæ Artes adinventæ ſunt à Philoſophis ut compleatur ab Arte, quod eſt à natura derelictum. Delirat qui falſa

imaginatur, aut vera quæ non expedit fatur. Finis autem hujus operationis eſt, ut in lapide noſtro melioretur tinctura ejus plusquam eſt in ſua natura. Sed quale regimen huic Arti ſit neceſſarium, deinceps perſcrutandum eſt. Quibusdam viſum fuit, quod regimen Lapidis ſolum ſit opus naturæ, ita quod Artiſta nihil aliud agat, niſi ipſum in vaſe claudere, & in Aere ſuſpendere umbroſo, & à turbinibus quieto, vel in terra ſepelire, cum hoc obſervatis congruis temporibus Anni, Menſium, dierum & horarum, atq; opportunis curſibus Planetarum & Aſtrorum, ita quod reliqua omnia natura peragat usque ad complementum. Et ſic Lapidis regimen non eſſet aliud, quam applicatio ad debita loca & tempora, quod videtur ex hoc probari, quia ipſa Metalla in viſceribus Terræ Lapides quoque & cætera mineralia atque naſcentia ſolo calore & virtute quæ à cæleſtibus corporibus cauſatur, ad ſuum complementum perducuntur. Sufficiat autem tibi materiam ſufficienter diſponere

ex-

extrinſecus, quoniam ipſa ſufficienter intrinſecus operatur ad ſui perfectionem. Habet enim motum ſibi inhærentem, ſecundum unam viam & unum ordinem meliorem & certiorem, quam poſſit ab homine cogitari in creatione cujuslibet generati. Ideo tantum præparamentum eſſe debet magiſterio Philoſophorum, quia natura niſi impedita fuerit per contrarium non poteſt præterire modum ſuum certum, antequam habeat tempus ad impprægnandum, ad parturiendum, ad nutriendum, & ad operandum, ac ſimiliter.

Ex hoc Argumentum trahitur quod Philoſophi dicunt, decoctionem Lapidis faciendam eſſe in calore ſolis. Similiter etiam ex hoc quod Philoſophi Annum in quatuor tempora diſtinguant, & ſecundum horum varietatem dicunt Lapidem eſſe regendum. Prima pars eſt hyems frigida & humida, Secunda eſt Ver, calidum & humidum, Tertia eſt Æſtas calida & ſicca, Quarta eſt Auumnus frigidus & ſiccus, Juxta hunc

modum oportet nos duas naturas regere. Multa alia ſunt, quæ de hac re ſcribuntur. Sed ſi quis libros Philoſophorum perlegendo diligenter & recte examinaverit, inveniet quod Lapidis regimen ſine calore ignis per Artem adminiſtrando perfici non poteſt. Maxima enim hujus Artis efficacia in ſuo igne perpenditur: nam cum eo mineræ aptantur, & innatæ Animæ in ſuis corporibus retinentur, & cum eo Animæ cum corpore conjunguntur. Et ignis eſt tota hujus rei vera atque perfecta probatio, & non intelligitur ex hoc quod calor naturæ ſufficiat, ſed oportet ignem Elementarem exhibere ſeu adminiſtrare. Sic enim ex Elementis nihil fit utile absque compoſitione & regimine, eo quod ſperma ex ſanguine & libidine generatur. Si enim humiditas & calor uteri non eſſent, ſperma non maneret, neque fætus perficeretur. Fætus autem extractus non niſi lacte nutritur & igne parce & paulatim dum parvulus eſt. Sic & te oportet facere in hac operatione, ſciasque quod abs-

abſque calore nihil unquam generatur. Item certum eſt, quod oportet in generatione metallorum calorem eſſe continuum, quoniam ſervaretur in ſuis vaſis mineralibus; ſed non conſervatur, niſi mons ſit ſolidus & frigus circumſtans calorem compelleret ad inferiora & ſtringeret. Ergo à ſimili Lapidis decoctio in Elixir neceſſario fit cum calore continuo in vaſe apto conſervato, quod fieri non poſſet in libero aere, quia nunc frigore nimio, nunc humido exceſſivo, nunc aliis alterationibus decoctio variaretur. Hoc namque agit calor in Alchymicis, dummodo ſit temperatus, quod agit calor ſolis in mineris, quia in utroq; virtus Planetarum & ſtellarum recepta defertur ad vaſa, & rebus ipſis infunditur. Similiter oportet ignem eſſe in generatione metallorum. Alioquin ſi idem eſſet utrobique æqualis, oporteret etiam unum eſſe tempus æquale in utraque generatione, & ſic in millibus Annorum Elixir non perficeretur. Aliud enim eſt regimen ejusdem rei cum igne, cum utrobique

bique ſit calor, propter quod & aliud tempus eſt in generatione Auri, & aliud in generatione Elixiris. Ex quo ſequitur, quod oportet alium calorem adhibere intenſiorem & magis continuum per Artem quam Natura miniſtrat. Sic enim Ars ſupplere valet longitudinem naturalis operationis ſollicite regimina exercens, & ad virtutem perveniens, quod quidem nec per ſe, nec miraculoſe, ut forte putas, ſed Arte & operatione Artificis cum ſagaci ingenio perficitur. Natura enim omnia perficit, & Artifex ſolum applicat res neceſſarias, & inter cætera ignem, utpote maxime neceſſarium. Cum enim ipſa materia partim ſit fixa, à principio adminiſtrandus eſt ſibi ignis, & usque ad finem continuandus, temperatus tamen, ut materia paulatim aſſueſcat ignem ſufferre, donec ultimo tota figatur, ut nullum omnino ignem pertimeſcat. Hic enim eſt finis Artis, ut generetur Sulphur ſive Elixir omnino incremabile: Sicut etiam finis naturæ eſt ut generetur Aurum, quod in igne non dimi-

diminuatur. Hoc autem per nihil aliud fit tam convenienter, ſicut per ignem: quia ſic paulatim virtute ignis roboratur, & ad incorruptibilitatem appropinquat. Regimen ergo hujus Artis eſt ignis calor, & non ſolum calor naturalis vel Lapidis vel cæleſtium luminarium. Nec eſt neceſſarium obſervare ortus & curſus cæleſtium Signorum, aut adſpectus Planetarum, vel tempora Anni, aut dies vel horas, niſi quantum pertinet ad bonitatem radicis. Quia hujus noſtri lapidis generatio eſt omnino naturalis, ſicut aliarum rerum quas natura producit, & ejus effectus ſimiliter; quamvis divinus & cæleſtis ſit dicendus, propter ſuam excellentiam, corporalis nec non & ſpiritualis qualis eſt imaginum & annulorum. Cujus ſignum eſt, quod ejus quælibet pars, eandem virtutem habet cum toto, & tantum valet contritus aut liquefactus; quantum integer. Nec in generatione juſtum eſt unquam ab aliquo Philoſopho obſervare characteres, verba, fumigationes, aut alias Ceremonias Magicæ

gicæ Arti proprias. Ante omnia autem oportet Lapidis Philoſophorum radicem eſſe optimam, alioquin nihil fit. Major radix eſt hujus operis in inquiſitione. Nam unaquæque minera multorum eſt generum. Cave ne accipias niſi purum & mundum. Ad hoc ergo, quæ radix ſit optima; oportet præcipue tria circa ipſam attendere. Primo quod ex optimis corporibus extrahatur. Ex bonis enim arboribus boni fructus colliguntur, & ex melioribus arboribus meliores gummæ effluunt, & ex melioribus gallinis meliora ova procreantur, & bonus paſtus bonas ac pingues facit carnes. Secundum circa quod attendere debes, eſt, quod fæmina impraegnetur ſuo ſemine maſculino. Eſt enim Lapidis generatio, quaſi ſimilis generationi hominis, quia oportet concurrere ſemen utriusque maris ſcilicet & fæminæ. Omnis enim virtus generativa Animæ eſt à ſemine Maris. Unde ſicut ex ovis venti non generatur Avis; ita ex ovo Philoſophorum non generatur Lapis, niſi fæmina à ſuo ſemi-

ſemine ſcilicet à ſuo mare fuerit impregnata. Et hoc ſemen eſt virtus ignea penetrans & tingens, & eſt coagulum coagulans menſtruum, & eſt Anima ſeu Spiritus ſubtilis vivificans. Sicut enim homo non poteſt generari ſine conjunctione viri & Mulieris, ſic Medicina noſtra ſine conjunctione Maris & Fæminæ. Mas enim eſt calidus & ſiccus, fæmina vero frigida & humida. In utriusque autem conjunctione contemperatur caliditas cum frigiditate, & ſiccitas cum humiditate: quia non convenienter generatur Animal, ſi excedat caliditas frigiditatem & è converſo. In utriusque autem commixtione extrema contraria reducuntur ad mediam diſpoſitionem, ſcilicet ad temperatam caliditatem. Vita enim viventium in calido & humido conſiſtit. Sic de Lapide noſtro uno eſt qui ex duplici componitur natura ſcilicet Maſculo & fæmina ut ſupra dictum eſt, ratione cujus ad ſe invicem agunt & patiuntur, perficiunt & perficiuntur, ſed etiam ex ſua origine prima maſculi

ſper-

ſpermate & fæminæ menſtruo concipitur, & naſcendo oritur, propter quod Animal dicitur, quia in potentia vitam habet, & ſemper utique volabilem, hinc quidam ipſum non immerito hominem nominaverunt. Tertio quod attenditur eſt, quod in optimo tempore aſſumatur. Tunc enim quælibet res ad humanum venit uſum, quando in ſui natura & perfectiſſima eſt. Lapis autem noſter ubiq; reperitur, & in omni tempore. Sed non in omni tempore æqualis virtutis eſt, ſicut nec in omni loco. Eſt & aliud quod ad ipſum regimen eſt neceſſarium, ſcilicet vas aptum. Confectione Lapidis cognita, radice bona quod eſt prius, oportet & vas cognoſcere, quod eſt poſterius, in quo ſicut in proprio loco lapis gignitur. Unaquæque enim res in loco ſibi convenientе generatur. Metalla ſiquidem in ventre terræ decoquente gignuntur, fœtus in utero & pullus in teſta procreatur. Oportet autem conditionem vaſis conjecturare ex Natura Lapidis. Lapis quippe Philoſophorum non perfici-

ficitur, niſi tota ejus virtus retineatur intra vas ſuum. Quare oportet vas in quo hoc magiſterium agitur eſſe fortiſſimum, quod ignem ſuſtinere poſſit, neq; ſit poroſum, ſed ſolidum, bonum, vitreum & ſpiſſum, rotundum, & collo longum ac ſtrictum. Non ſolum oportet eſſe fortiſſimum, ſed etiam clauſuram munitiſſimam, qua niſi Spiritus ſubtiliſſimi retineantur, totum magiſterium perditur. Statim autem ut lapis impoſitus eſt vaſi, incipit propter anguſtiam carceris ſudare, & ſubtiliſſimas partes exhalare, & quanto diutius coquitur, tanto Spiritus magis multiplicantur, ſubtiliantur & fortificantur. Et ideo ſtatim ab initio oportet vas claudere, & forti ſigillo obſtruere, ne flores fugiant, & totum magiſterium amittatur. Non minus furnus ſit conveniens, in quo vas cum materia ſtatuatur & igne decoquatur. Totum enim regimen magiſterii & noſtri operis in igne in vaſe & clauſura conſiſtit, quia ſine iſtis perfici magiſterium non poteſt. Ignis debitus certe adminiſtrari

non

non poteſt niſi in furno ad hoc apto. Oportet ergo, ut Artifex ſciat ignis qualitatem & ſuæ fornacis; & ſimiliter ignis aſcenſionem, in qua videlicet parte fornacis ſeu in quo loco debeat accendi. Et circa hæc tria oportet attendere. Primo Fornacis debitam diſpoſitionem, & convenientem ignis proportionem ut videlicet non ſit nimis altus, non nimis depreſſus, & ut parietes non ſint nimis groſſi ſeu ſpiſſi, nec nimis tenues, ſed taliter inſtructus ut ſufficientem calorem & continuum recipiat & ſervet ac miniſtret. Magnus enim Furnus & parvus, vel groſſus & tenuis non eodem calore æqualiter & continue calefiunt. Furnus quoque ſtet in loco luminoſo ſecuro à ventis & aliis incommodis. Sine hoc ergo Athanore nihil fit, quia ſine eo calor tam neceſſarius in generatione Lapidis nec conſervari nec continuari poteſt in temperamento congruo ſicut Ars requirit. Oportet tamen Artificem non caſualiter ſed prudentiſſime & ex ratione ſemper operari ſingula, maxime ad Me-

Medicinæ ſuæ fixionem: quiá fixio eſt quæ omnia perficit, Medicinam facere permanentem in igne, ita ut non comburatur neque deſtruatur aut diminuatur, neque in ſubſtantia neque in virtute, neque in colore ſeu tinctura, ſed potius augeatur. Lapis enim noſter tam diu in regimine ignis debet teneri quousque de una natura in aliam amplius mutari non poſſit. Oportet namque facere toties fixum volatile, & volatile fixum, quousq; totum figatur & fluat, & alteret in verum ſolificum & Lunificum. Sic enim irritatur bellum, id eſt, deſtruitur in Sulphur coagulans & argentum vivum volans, & etiam componitur Amicitia inter Elementa. Spiritus iſte convertitur in corpus, & corpus in ſpiritum; & iterum Spiritus in corpus. Tunc facta eſt Amicitia inter frigidum & calidum, & inter humidum & ſiccum. Sed videamus nunc fixionis radicem & fundamentum. Radix autem proxima fixionis Sulphur eſt, quia hoc ſolum eſt quod Argentum vivum coagulat. Idem autem eſt coagulans & fixans. Oportet inſuper Medici-

nam eſſe fixam, Ergo & Sulphur medicinam perficiens neceſſario erit fixum. Tale autem Sulphur, non eſt Sulpur vulgi, quia illud eſt adurens. Oportet igitur illud extrahere ex corporibus in quibus eſt Sulphur non adurens. Talia autem ſunt ſolum duo, ſcilicet Sol & Luna. Iſta ergo duo corpora ſubtiliter præparamus, ut ex ipſis Sulphur habeam9, cum quo argentum vivum tingamus.

Proxima cauſa fixionis eſt Sulphur. Prima ergo fixionis cauſa eſt terra, quia fixior eſt omnibus Elementis: Deinde vero Aqua, quia ſiccitati terræ contemperandæ eſt propinquior, & ſua frigiditate defendit à combuſtione. Poſtremo vero ignis perficit fixionem, cujus ſignum eſt, quod in Auro, in quo ignis plus dominatur quam in Argento, major eſt fixio, & per conſequens etiam Elixir rubrum fixius eſt quam album: & ſic intellige quod dictum eſt, quod ignis in album Elixir intret, ſupple principaliter, quia & in illo ſunt omnia quatuor Elementa. Non tamen eſt tanta vis ignis nec effectus ejus ibi ſicut in Elixir rubeo, cui additur ignis qui eſt Sulphur rube-

rubeum, non ab extrinſeco junctus, ſed ab intrinſeco extractus. Et hoc recipe tuæ cognitionis fundamentum, quod in operatione Elixiris terrea natura quæ dicitur corpus, quamvis ſit cum ſpiritu ſubtiliſſimo univerſaliter commixta, etſi non videatur ab ipſis Elementis diſtincta, eſt tamen proxima cauſa coagulationis & fixionis, & ex ea ſimul cum Aquea ſubſtantia eſt origo Sulphuris & fermenti. Et hæc natura fixa eſt in omnibus compoſitis ex quatuor Elementis, quantumcunque ſubtilientur, & ad ſpiritualitatem ducantur, quandoque quidem in actu, quandoque autem in potentia. Et ideo omnia in ſeipſo habent quo fixentur, niſi evolent. Ad hanc autem fixionem maxime cooperatur ignis exterior administratus per Artem, qui ſi ſit intemperatus fixionem ejus impedit.

Dicendum nunc eſt de rubedine quæ eſt ejusdem regiminis complementum, pro quo ſcias primo quod eadem res eſt fermentum Albi & rubei Elixiris, ſcilicet Ovum noſtrum, quod tamen eſſe non poſſet niſi ejus Sulphur

 utram-

utramque naturam participaret, aut niſi in ea re eſſet aliquid, quod Solem & Lunam ad communem naturam & colorem Argenti vivi reduceret. Quamvis igitur in noſtro Lapide Sol & Luna ſint diſtincti, loco, proprietate & colore, tamen quia ſunt propinquæ naturæ, unum ad alterum facile convertitur, & ad mutuam actionem & paſſionẽ duo ſpermata unitiſſime ſibi commiſcentur, quod maxime ſibi commiſcentur, quod maxime fit in putrefactione. Ideo in unam naturam, virtutem & colorem tranſeunt. Quare etiam ex ambabus unum Elixir ad album & rubeum per Artem generari poteſt: non tamen uno tempore, ſed unum poſt alterum, per diverſos modos digeſtionum. Quia tamen Sol dignior eſt Luna, atque fixio ejus ſit naturæ, ideo principatus fermenti ſibi attribuitur, ut ſcilicet dicatur Sol fermentum albi & rubei Elixiris, & quod non melioratur niſi cum eo, nec completur cum alio. Nunquam enim fit tinctura absque Lapide rubeo. Album namq; ſolum absq; rubeo enim major eſt vis Sulphuris non urentis quia

quia maſculina calidior purior & pinguior, magisq; digeſta, quam in albo, in quo eſt fæminina, frigidior, impurior, magisq; fugitiva. Sed quia Luna habet primum dominium, & ſeſe in ſolem convertit ſuum, dando ei naturam colorem & proprietatem. Ideo quamvis magis Argenti vivi naturam ſapiat quam Sulphuris, quia volatilis, non immerito fermentum albi Elixiris nominatur. Utrumque tamen fermentum ex utroque corpore eſt, ſed principalius eſt ex Sole, nam ambo corpora propter propinquitatem naturarum ex uno Patre & una Matre ortarum in unam primam argenti vivi naturam alterando transmutatur. Ut deinceps ex illa, id eſt ex occulto ejus duo Sulphurea fermenta extrahi poſſint, album primo deinde rubeum. Neque enim fermentum proprie dicitur, niſi quando Mercurius cum ipſo coagulatur, & in ſpeciem Auri vel Argenti tingitur. A principio autem neutrum fermentum dicitur, niſi quia materia eſt, unde fermentum extrahitur. Sic ergo Sol principaliter perfectionem Lapidis dat, & ultimum

mum complementum, & ex ipſo Anima eſt & Sulphur tingens, & Spiritus Mercurii, qui eſt ex Luna, acuens & imprægnans, & ultimo ad ſuam naturam & colorem trahens. Unde concluditur illorum duorum corporum conjunctionem cum Mercurio neceſſariam eſſe, in hac parte ad Elixir rubeum & album, quia quamvis Aurum inter omnia corpora ſit magis compactum & fixum, tamen cum diſſolvitur & in partes minutiſſimas ſeparatur, fit ſpirituale & evolans ſicut prius, & ſecum portat tincturam rubeam, argentum vero ſimiliter albam, nec fuit corpus aliquod dignius Sole & purius aut ejus umbra ſine qua nullum Argentum vivum generatur tingens. Ultimo ſcias cognoſcere, quando Lapis eſt omnino perfectus, primo quidem quando ejus rubedo non amplius variatur, nec minuitur, hoc eſt, quando eſt rubicundiſſimus ſicut ſanguis in actu. Secundo quando funditur in igne ſubito ſicut cera, nec deſtruitur, nec diminuitur. Et hæc eſt prima omnium probationum ipſius Olei, ut non faciat fumum nec

ſtre-

ſtrepitum ullum, ſed currat per omnia, & tingat laminam ferream, æream, plumbeam, vel argenteam, & figat ſe cum illis, & non timeat ignem nec minuatur, nec à metallis ſeparetur ejus tinctura. Facto autem Lapide rubeo, tunc omne corpus tingit ad perfectionem, & non ſolum alterat, ſed etiam in inſtanti transmutat, & abſque violentia permiſcetur rei alterabili, cum ſpoliatione omnium ſuperfluorum & aduſtibilium. Et ſicut forma Auri, habens virtualiter & active omnes differentias & paſſiones, quas habet aurum minerale, & ideo facit metalla omnia ſubito fixa, citrina, fulgidiſſima, ponderoſa ultima gravitate, muta in ſonoritate, & omnino eadem virtute Medicinali, ſicut verum & puriſſimum Aurum. Et hæc forma inter omnes formas Mundi non ſolum eſt qualitas, ſed etiam quantitas, quia corpulenta: Et propterea dicitur Theriaca toxicum & venenum Philoſophorum, eo quia ſubito coagulat & fixat ſuum argentum vivum, quaſi interimendo, ac perficit ipſum in tincturam & Elixir aliorum metallorum.

Et hoc intelligitur de Sulphure Auri, quod non additur ab extrinſeco, ſed extrahitur ingenioſe, & quaſi miraculoſe per regimen debitum Artis, de argento vivo, cum quo ſimul per ſublimationem mundatur: quia Sulphur tingens eſt ſolum notum naturæ. Et tamen dicitur additamentum tingentis. Collige autem, quod hic Lapis Philoſophorum habeat excellentiſſimas virtutes ſuper omnes alios lapides. Eſt namq; in ſpeciali triplex ejus virtus immenſa: Prima quidem, quia Mercurium crudum in igne poſitum, & quælibet alia metalla ſubito in veriſſimum ſolem meliorem omni naturali, convertat. Secunda, quod homines in ſanitate & juventute conſervat, repellendo ab eis cunctos languores, non tantum lepram & caducum morbum, ſed & alias fere incurabiles infirmitates mulcet ac removet, & hæc omnia operatur plusquam omnes medicorum medicinæ vel potiones, vel confectiones quæcunque. Præſervat & protegit hæc Medicina in confectis appoſita, ne quis morbus eidem advenire in futurum poſſit, ſicque

ſicque ſit antidotum & Medicina omnium corporum curandorum & purgandorum, tam metallicorum quam humanorum. Tertia, quia multa mirabilia fiunt cum ea in aliis rebus. vitrum malleabile facit, & ex cryſtallo fuſo cum ea carbunculum trahimus, & ex multis perlis unam prægrandem & naturali ſimilem componimus. Mercurius non poteſt retineri cum quocunque corpore absq; phyſico lapide, & ideo omnes operationes ſunt Sophiſticæ & inutiles, quæ tamen omnes deducerentur ad bonum finem, ſi cum hujus Lapidis medio perficerentur. Ex quibus concludimus quod hæc medicina cum ſumma diligentia eſt perquirenda ſuper omnes Mundi divitias ac inferiores theſauros, quia hæc noſtra vere divina Medicina eſt ſpiritualior, ſubtilior phyſica ſolutione, & longe cæteris efficacior omnibus pretio, virtute, ac immortali laude quacunq;. Medicina hæc quoque ſi ſit perfecta multiplicabilis eſſe indicatur quodam modo in infinitum. Eſt autem triplex modus multiplicandi eam. Primus quidem ſolvendo eam

per ſe ſępius & coagulando. Hæc autem ſolutio & congelatio non fit niſi igne. Quia poſtquam Medicina didicit pugnam contra ignem ſuſtinere, quanto diutius in igne ſteterit, tanta ejus bonitas augmentatur. Solutio ergo illa eſt liquefactio ejus ad modum olei. Per ſe ipſam autem congelatur in Aere. Quia etiam liquefiendo & congelando ad ſuam perfectionem pervenit, ergo ex eadem ratione & cauſa iterum ſolvatur, & iterum congeletur & perfectior erit. Quanto enim pluriès ſolvitur ſublimatur & coagulatur Medicina, tanto melius & abundantius operatur. Hic autem ſolutio intelligitur non in Aquam roris ut fatui putant, ſed quod ſiccum convertas in humidum, & groſſum in ſimplum, ut ſubtilies ipſum quantum potes. Opus enim ſolutionis fuit inventum non niſi ad ſubtiliandum. Et hoc eſt de intentione Artis, quæ docet fixum lapidem cum modis ſublimationis ſæpius volatilem facere, & ſæpius fixare quouſque fluat & alteret in complemento ſolifico certo.

Secundus modus eſt projiciendi Medici-

dicinam, ſcilicet partem unam ſuper centum partes Mercurii præparati cum ſuo regimine, & erit pulvis ſubtiliſſimus & rubicundiſſimus, & hæc operatio poteſt pluries reiterari. Et ſi hujus Medicinæ una pars projiciatur ſupra decem alias partes corporis imperfecti iterum totum efficitur medicina, ita quod una illius pars iterum projecta ſupra decem alias partes corporis imperfecti, transmutabit ipſum in corpus perfectum, ſcilicet in verum Solem vel Lunam, ſecundum Medicinæ qualitatem, & hoc rationabiliter dicitur: quia ſemel projicere unam partem ſupra mille, & ter projicere unam partem ſuper decem partes in idem redit. Sed ſemel projicere unam partem ſuper mille, convertet corpus imperfectum in corpus perfectum; Ergo ter projicere etiam convertet, ex quo alterum neceſſario ſequitur: quod projicere Medicinam ſuper corpus perfectum, reddit ſecundam Medicinæ perfectionem, quam ſi projiceretur ſuper corpus imperfectum. Ergo efficacia ejus oſtendetur, ſe ad majorem qualitatem converten-

tendo. Hujus autem fundamentum eſt, quia Medicina tantæ virtutis eſt & efficaciæ, propter ſuam ſpiritualitatem ac ſubtilitatem, quod ſubito corpora per minima penetret, & partes puras aquoſas aereas ſpirituales & ſubtiles ſeparat & ſibi coadunat: partes vero groſſas corruptibiles & combuſtibiles vel conſumit, vel ſeparat. Sed hoc in corpore perfecto non eſt; maxime autem in Auro, quia partes impuras & combuſtibiles non habet. Ergo medicinam totam ſibi coadunabit. Et per conſequens illa ſecunda Medicina erit longe major in quantitate quam eſſet ſecunda medicina facta ex corpore imperfecto, etiamſi non ſit in potentia & virtute.

Hoc tamen ſcito, quod ſecunda Medicina non poteſt venire ad gradum perfectionis primæ, nec tertia ad gradũ ſecundæ, & ſic de aliis. Quamvis Medicina ſibi coadunet partes aereas ſpirituales & ſubtiles, tamen non poteſt eas ad tantam ſpiritualitatem reducere, quantam ipſa medicina habet, quia ejus virtus eſt ponderata, menſurata, determinata, ſicut & aliarum rerum; & impertitur per corporis partes in quibus eſt

di-

diſperſa. Propter quod projectio toties poſſet reiterari, quod amplius non haberet vim Medicinæ ſeu convertendi. Similiter etiam ſi projiciatur Medicina ſuper quantitatem nimis magnam, non converteret in corpus perfectum. Semper enim Medicina facit quantum poteſt: ideo quanto plus projicitur vel ſuper majus, tanto virtus ejus minuitur. Et ſic ex una parte Medicinæ primi gradus, perficiuntur mille partes corporis imperfecti in corpus perfectum & ex una parte tertii gradus, ſolum decem. Quia ſicut medicina per multas alterationes deducitur, de corporeitate ſeu groſſitie & imperfectione ad ſpiritualitatem & ſubtiliſſimam naturam: ita etiam è converſo per multas projectiones deducitur de ſpiritualitate ad corporis groſſi naturam, propter partes groſſas quibus inſeparabiliter incorporatur. Et tamen animadvertendum, quod facilius projectio perficitur, quam Lapidis procreatio. Difficilis eſt enim Medicinæ procreatio, quia ſubtile aquoſum eſt in materia Lapidis valde fortiter unitum cum terreo ſicco, & vix vel

nun-

nunquam ſeparari poteſt, niſi cum maximo & ſubtiliſſimo ingenio Artificis, & non niſi longo tempore. Et tamen talis ſeparatio exigitur ad medicinæ procreationem, ſed poſt creationem eſt facilis in corporibus, quia medicina ſua ſpiritualitate ac ſubtilitate penetrat ſubito corpora, & ſuo calore alterat, digerit, & materiam diſponit, & purum ab impuro, ſubtile à groſſo perfecte disgregat & ſequeſtrat, & ſubtile purum ſibi aſſimilat, & in ſuam ſubſtantiam transformat. Quia quamvis Medicina ſit minor quantitate corpore alterando, eſt tamen multo major virtute: ideo vincit ipſum, non tamen plene aſſimilare poteſt. Quare groſſiores ac terreas partes fortiter acreis commixtas ſeparare non poteſt. Et ideo virtus Medicinæ diminuitur in projectione. Et tamen unum hoc maximum eſt ſecretum, quod Medicinæ virtus etiam in projectione poteſt augeri, non ſolum in quantitate extenſa, ſed etiam in virtute perfectionis & bonitatis. Si videlicet Medicina projiciatur ſuper corpus debita proportione & totum ponatur in ignem & augea-

geatur per ſuos gradus, & ſæpius Solvatur, & ſæpius congeletur, quousque fluat plusquam cera. Sic enim virtute Medicinæ digerente, paulatim totum ſublimatur, & ad ſpiritualem naturam transformatur. Quapropter ſi in projectione in tantum Medicina eſſet debilitata, quod ingreſſum amplius non haberet, ingreſſus ſibi datur, ſi prima pars Medicinæ ſibi jungatur & coquatur, ſolvendo & coagulando quousque fluat. Quanto enim virtus Medicinæ eſt minor, tanto temperatiorem ignem à principio, & per gradus temporis neceſſarii deſiderat. Si autem de Medicina prima & perfectiſſima nihil remanſiſſet quod addatur, aliter agere oportebit, quod tamen ſummopere præcavendum eſt ab ingenioſo Artifice, ne hoc ſibi eveniat, eo quod ſufficit tantũ ſemel lapidem compoſuiſſe, nec oportet ultra opus reiterare, quia omnino Medicina abſoluta Philoſophice in infinitum eſt multiplicabilis. Tertius præterea modus eſt, quod Medicinæ pars aliquanta, ſive alba ſive rubea, conjungatur Lapidi ſeu Mercurio noſtro,

qui

qui nunquam in opere fuerit, & ponatur in igne, donec ad talem gradum ſubtiliatio-nis & puritatis perveniat,& ultimo volatile id eſt ſpirituale fiat,ab hinc ergo tertio cum fixio-nis modo figatur, donec in igne aſperitate re-licta quieſcat. Sed nondum completum eſt o-pus in Albo, quamvis in hoc uno meta præpa-rationis conſiſtat. Ideo ultimo & quarto,fixum volatile fiat, & iterum volatile fixum per mo-dum ſublimationis & ſolutionis, toties reite-rando ſolutionem & congelationem, quosque fluat plusquam cera,& alteret in omni comple-mento lunifico & ſolifico certo. Et hoc eſt ulti-mum præparationis ſeu perfectionis comple-mentum. Et hic quidem Lapis noſter Philoſo-phicus ſive naturale & Artificiale compoſitum, operatur in hoc mundo inferiori ſecreta natu-ræ pretioſiſſima ſuper omne pretium, ac Re-gum opibus incomparabilia. Quæ quidem probis & fidelibus tantum ſunt revelata, non autem impiis puſillanimis otioſisque homini-bus,vel Tyrannis, qui contra creatoris noſtri voluntatem vitia colunt, Chriſtianam charita-tem negligunt, virtutem ſuſpendunt, ac ſtudi-oſos homines perdunt. His ergo quatuor gra-dibus ſublimationis ſuperius enarratis totum Magiſterium noſtrum cum Dei adjutorio per-ficitur. Qui ſit benedictus & glorio-ſus in ſæcula ſæcu-lorum.

FINIS.